




SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

Pianist



Cristoforo Buondelmonti de'

CHRISTOPH. BONDELMONTII,

FLORENTINI,

LIBRUM INSULARUM ARCHIPELAGI

E CODICIBUS PARISINIS REGIIS NUNC PRIMUM TOTUM

EDIDIT,

PRAEFATIONE ET ANNOTATIONE

INSTRUXIT

GABR. RUD. LUDOVICUS DE SINNER,

HELVETO - BERNAS.

LIPSIAE ET BEROLINI,

APUD G. REIMER 1824.

CAROLO BENEDICTO HASE,

IN SCHOLA REGIA SPECIALI LINGUARUM ORIENTALL. RECENTIORR. LUTETIAE PROFESSORI IN BIBLIOTHECAE REGIAE PARTE CODD. MSS. GRAECOS ET LATINOS COMPLECTENTE AGENTI, ORDINIS S. WLADIMIRI EQUITI, ACADEMIAE SCIENTIAR. IMP. PETROPOLITANAE, REGIAE BEROLINENSIS ETC. ETC. SOCIO.

VIRO EXIMIO,

PARISIIS QUONDAM MAGISTRO MEO REVERENDISSIMO, AMICO NUNC IN AETERNUM PIE COLENDO, SUAVISSIMO,

PRO TOT ET TANTIS IN ME

BENEVOLENTISSIMI ANIMI TESTIMONIIS,

GRATA MENTE,

ISTHUNC QUALEMCUNQUE LIBRUM

D. D. D.

EDITOR.

LUDOVICI DE *SINNER*

IN

CHRISTOPHORI BONDELMONTII

LIBRUM INSULARUM ARCHIPELAGI

PRAEFATIO.

LECTORI
ERUDITO ATQUE BENEVOLO
EDITOR
S.

---

§. 1.

Ad edendum isthunc quem tibi trado librum, Lector, complures me permoverunt causae quas candide tibi in Exordio Praefationis exponam.

Primum quidem valuit apud me exemplum aliorum, Italorum praesertim, J. Morellii, e. c., Zurlae, et aliorum, Gallorum quoque, qui in hodierno Classicarum Literarum statu Geographiam veteris et medii aevi edendis nonnullis recentioribus viatoribus expoliendisque iteratis curis multifarie dilucidarunt. Quibus ut me tanquam huius libri editorem adiungam operae esse pretium non sine specie veritatis duxi.

His adiungo status hodiernae Graeciae rationes; et sane nunc ubi nostrum omnium oculi intenti defiguntur in magnum illud et difficile veteris Graeciae filiorum certamen, nunc ubi quotidianas fundunt ad Deum O. M. preces tot et tanti homines, lucis illius, quae e Graecia nobis manavit, totius orbis literarum, grata mente memores, pro fausto eventu contentionis acerrimae, nunc, si qua unquam, dico, liber meus bene excipietur, ultima eruditis offerens documenta status Graeciae ante Turcorum invasionem.

Hisce ergo aliisque causis permotus, anno huius seculi 1821, Parisiis variis studiis philologicis operam navans, adolescentulus etiam tunc, Librum de Insulis Archipelagi e codicibus regiis descripsi; reversusque in patriam horas subsecivas libro ei impendi, quem nunc, absolutis Theologiae studiis, ad antiquas classicasque literas totus redux, tibi trado, Lector.

§. 2.

Ut autem bene tibi constet quis et qualis sit Auctor quem nunc primum integrum pu-

blici iuris facio, *tripartitam* hanc Praefationem exhibere visum. Itaque in *prima* parte *Libri Notitiam literariam* exhibens, de Auctoribus agam, qui Bondelmontium laudarunt, fragmenta eius iam typis vulganda curaverunt, excerpserunt. In *secunda* parte de *Bondelmontii Vita et Scriptis* disseram; in *tertia* denique *quid a me in hac editione praestitum fuerit* previter dicam.

PARS PRIMA.

Notitia literaria de Bondelmontio.

---

§. 3.

Viri docti qui Bondelmontii Librum de Insulis Archipelagi noverunt, eum aut laudarunt, aut partes eius publici iuris iam fecerunt, aut eum excerpserunt. Quos ergo in *tres* dividam classes.

§. 4.

1. *Ex professo* de eo egerunt *G. J. Vossius* de Scient. Math. C. 70, §. 8. et de Historicis lat. lib. 3. Par. 3. c. 9. — *Casimir Oudinus* Commentar. de Scriptorr. et Scriptis

ecclesiast. T. 3. p. 2331 et 32. — *J. A. Fabricius* Biblioth. lat. med. et infim. aetatis, ed. Hamburg. 1734. 8°. T. 1. p. 702. — et praesertim *G. M. Mazzuchelli*, Scrittori d'Italia T. 2. P. 4. p. 2374. Is Mazzuchellius, cum longe accuratissimus sit de omnibus illis quos modo dixi, multaque laudet Italorum scripta, quae ne hic quidem Parisiis inspicere in Bibliothecis potui, alias totius orbis terrarum abundantissimis librorum, propterea Notitiam eius de Bondelmontio typis iterum excudendam curavi ad calcem huius Praefationis.

§. 5.

Obiter nostrum laudant: *Ambrosius Traversarius*, Epistol. T. 1, p. 378; — *Mart. Hanckius*, de Script. Byzantinis P. 1. C. 6, 12; — *B. Montfaucon* in Biblioth. Bibliothecc. Mss. T. 1. p. 299, b.; p. 426, b.; et T. 2. p. 755, b; p. 894, a; et p. 950, b. — *G. Tiraboschi* Storia della Lett. ital. T. 6. P. 1. p. 164, et T. 6. P. 2. p. 106. — *Zeddler*, *Iselin* et *Moreri* in Lexicis, aliique multi e Recentioribus quorum mentio-

nem in Annotationibus nostris passim insertam videbis.

§. 6.

2. *a.* Secundae classis Scriptorum, eorum dico qui Libri de Insulis Archipelagi fragmenta typis excudenda curaverunt, primus est *Carolus Dufresne Du Cange.* Is in Notis ad Joan. Cinnamum, Paris. 1670, p. 179—187, fol. dedit textum Descriptionis Urbis Constantinopoleos cum effigie eius, depromtam e cod. Parisino regio nunc 4825, illustratam amplissimis e Byzantinis aliisque notis, quas omnes hic, ad Caput 65 penes nos, repraesentavimus iterum.

§. 7.

b. Secutus est *Jac. Palmerius* (Paulmier de Grentemesnil) in cuius posthumo Opere: Graeciae antiquae Descriptio, Lugd. Bat. 1678, 4°., excerpta prostant typis excusa e Cap. 1, de insula *Corcyra:* Graec. ant. l. 2. c. 10, p. 363, 64; e Cap. 4. de *Ithaca.* Gr. ant. l. 4. c. 23, e Cap. 5, de *Cephallenia,* Gr. a. l. 4, c. 24. Ea excerpta plu-

CAROLO BENEDICTO HASE,

IN SCHOLA REGIA SPECIALI LINGUARUM ORIENTALL. RECENTIORR. LUTETIAE PROFESSORI IN BIBLIOTHECAE REGIAE PARTE CODD. MSS. GRAECOS ET LATINOS COMPLECTENTE AGENTI, ORDINIS S. WLADIMIRI EQUITI, ACADEMIAE SCIENTIAR. IMP. PETROPOLITANAE, REGIAE BEROLINENSIS ETC. ETC. SOCIO.

VIRO EXIMIO,

PARISIIS QUONDAM MAGISTRO MEO REVERENDISSIMO,

AMICO NUNC IN AETERNUM PIE COLENDO, SUAVISSIMO,

PRO TOT ET TANTIS IN ME

BENEVOLENTISSIMI ANIMI TESTIMONIIS;

GRATA MENTE,

ISTHUNC QUALEMCUNQUE LIBRUM

D. D. D.

EDITOR.

LUDOVICI DE SINNER

IN

CHRISTOPHORI BONDELMONTII

LIBRUM INSULARUM ARCHIPELAGI

PRAEFATIO.

minusve insignes; itemque in *Zeddleri*, *Iselini*, *Morerii*, aliorumque Lexicis historicis alii eiusdem gentis viri reipublicae gerendae in officiis politicis ecclesiasticisve praeclaram navantes operam excitantur. Nobilissima autem gens illa Florentiae hodie quoad virilem stirpem exstincta iacet, solaque superest foemina multis dotibus insignis, *Marchesa Luisa Ferroni*, sine filiis. Quam ultimam notitiam viro eximio *Antonio Benci*, Florentino, grato animo acceptam refero.

§. 13.

2. *Christophori Bondelmontii Nostri Vita.*

Christophorus, seu *Christopherus Bondelmontius*, sive *Buondelmonti*, ex scriptione itala, sive *de Bondelmontibus*, ut in titulo Codicum nomen profertur, patria Florentia Tusciae oriundus, Archipresbyter erat Ecclesiae Sanctae Mariae supra Arnum, teste *Cornaro* in Praefatione in Cretam sacram, p. 5. Ab *Ambrosio Traversario* eum missum fuisse in Graeciam „*ad graeca comparanda volumina*" ut ait Auctor ille T. 1. p. 378 libri *Ambrosii Traversarii* Epistolae,

ed.

ed. *L. Mehus*, Florentiae 1759, 2 Tom. fol.; seu a *Cosmo Mediceo*, quod narrant apud *Muratorium* Scriptor. Rerum Italicar. T. 25. p. 274, quod negat *Tiraboschi* T. 6. P. 1. p. 102: — hoc definire nolim, praesertim quia in Libro ipso Archipelagi tale nil occurrit. Excerpta ex Ambrosii Epistolis, mihi ab amico H. Meyero, Turicensi, Bernam missa, diserte non testantur an ex Epistolis ipsis, an ex Vita Ambrosii, auctore *Mehus*, depromtus sit locus quem laudo; et hic Lutetiae libri latentis inspiciendi in bibliotheca regia mihi nequaquam copia fuit. Quidquid eius rei sit, ex ipso opere patet illud: Octo annos Rhodi degerat (Cap. 13.) et anno 1422 Rhodo misit hunc librum Romam. Per quatuor deinceps annos, ut videtur (Cap. 80), permeando praesens lustravit omnes Archipelagi Ionicasque insulas, et duos annos „secundae copiosiori huic descriptioni" concinnandae impendit (Praef. §. 1.). Per hoc ergo biennium Rhodi degebat „Graiis" literis operam navans; ita anno 1414, „exacta adolescentia" patriam Florentiam dereliquit. Et priusquam inviserat Archipelagum annum

1414 Rhodi degebat, et duos fortasse annos in Creta insula 1415 et 1416, ut vides e titulis librorum quos ipse emit in Creta insula, qui servantur in Bibliotheca Medicea Florentiae, teste *Ambrosio Travers.* l. l. Praeter haec de eius vita nihil omnino scimus.

§. 14.
3. *Bondelmontii Scripta.*

Duo nobis supersunt Nostri Opera, *Cretae Descriptio*, et ipse quem nunc edo *Archipelagi Insularum Liber.*

§. 15.
a. *Descriptio Cretae.*

Cretae Descriptio Bondelmontio auctore typis excusa prostat in *Creta Sacra* [a]) T. 1. *Flaminii Cornelii*, Italis *Cornaro*, Senatoris Venetiani, Parte I, et quidem duplici re-

a) Titulus libri rarissimi sic concipitur: „*Creta sacra, sive de Episcopis utriusque ritus graeci et latini in Insula Cretae. Accedit series Praesidum Venetorum inlustrata. Authore Flaminio Cornelio, Senatore Veneto.* — 2 Ti. T. 1. pagg. 327. T. 2. pagg. 458. *Venetiis, typis J. B. Pasquali,* 1755, 4°.“

censione; „tractatus nempe *prior*" (T. 1. p. 1—18; notae Cornelii complent p. 18—75), ut ipsis verbis Cornelii utar, Praef. „brevior ad Iordanum de Ursinis Cardinalem missus," — „Cretae primordia fabulosa et incerta, atque regionis ipsius compendiosam affert narrationem; *alter* vero (pag. 77. *Descriptio Insulae Candiae*, usque ad p. 109 l. l.) prolixior, missus ad Nicolaum Nicolium, Florentinum, alias Nicolaum Falcuccium (p. 76 l. l. Cr. 1.), et ordine secundus accuratam locorum descriptionem exhibet." — Male ergo apud *Bandinium* Catal. Laur. Med. Codd. latt. T. 2. Plut. 29. Cod. 42. p. 58, 59. (Florent. 1775.) tractatus ille, ordine secundus apud Cornelium l. l., tribuitur Cyriaco Anconitano, de quo plura Cornelius l. l. p. 37—41. — Praeterea aliis adhuc probabilibus argumentis tractatum isthunc secundum Bondelmontio Cornelius vindicat, p. 75, qui ita, i. a., „Non itaque a vero abluderet, qui Bondelmontium assereret priorem tractatum, Iordano Cardinali Orsino inscriptum, *in ipsis sui regressus diebus*, prout erat ex itinere fessus, pressiori calamo concinnasse;

mox deinde cum ex restituta quiete animum recreasset, descriptionem Insulae fusiori sermone exarasse, quam amico suo, cui nomen Nicolaus, inscriptam voluit.“ — Librum ipsum Cornelii Cretam Sacram Parisiis redux tantum conferre potui, quum annotationes meae in Cap. 11. Libri de Insulis Archipelagi iam ad impressionem essent descriptae.

§. 16.

b. *Liber Insularum Archipelagi.*

Absoluta illa Descriptione Cretae, ut ex initio Cap. 11. huius libri vides, Bondelmontius librum, quem nunc in lucem totum protraho, conscripsit Insularum Archipelagi, de quo plura nunc dicere non supersedeo. Addam hoc prioribus: octo illos annos quos Rhodi degit, de quibus supra dixi, non esse accipiendos de commoratione ibi deinceps unoque tenore facta; Rhodus, ut videtur, potius locus erat, in quem e singulis itineribus semper redibat; v. notam in Cap. 55. — *Scopus itineris* erat varius; strenua facta historiâ digna praesertim enumerare voluit (Cap. 9. in.) et praeterea Geographica, My-

thica aliaque omnia quae in promtu erant Cardinali fuse enarravit. Haec qualia sint nunc videamus.

§. 17.

4. *Bondelmontii eruditio.*

Quoad Insulas, quas praesens lustraverat, in *Geographicis* accuratissimus est ut testis oculatus, sed ubi in continentem terram aberrat, ubique fere pessime labitur (v. not. in c 45.). Et haec est pars libri utilissima. Effigies insularum, alias tabulas geographicas addidit singulis capitibus singulas, quarum aliquas e Cod. A. accurate expressas repraesentavimus. — In *Historia* mirae erat ignorantiae inscitiaeque. — In *Mythicis* allegoricam sui temporis interpretandi rationem secutus, saepius ingeniosa profert commenta, sagacissimis illis Creuzeri, Hugii aliorumque passim haud omnino indigna. Ita fabulas recenset de Mercurio, c. 28; de Diana, c. 32; de Baccho, c. 37; de Junone, c. 54; de Venere, c. 9; de Minerva, c. 12; de Cybele, c. 23; de Pane, c. 24; de Apolline, c. 25; quorum

attributa singularem in modum interpretatur; praeterea mythos recenset Harpyiarum, c. 7; Annii filiarum, c. 28; et Promethei, c. 12. — In *Veterum Auctorum latinorum lectione* pro temporibus illis satis est versatus; e Geographis Plinium bene novit; e Historicis Livium et Valerium Maximum; e Philosophis Ciceronem, Macrobium et Isidorum Hispalensem laudat; e Poëtis Virgilium praesertim, Statium quoque, Ovidium ac Terentium bene memoriae inculcaverat. Sed e *Graecis* nullum laudat nominetenus librum; nam *antiqua Chronica*, c. 5 et c. 13; *graecum quoddam volumen*, c. 13; *Epiphanius Cypricus*, c. 5; *Barlaam monachus*, c. 8, et mentio *Ptolomaei*, c. 11, nullius sunt aestimandi. — Omnino, ut videtur, e memoria laudat, alioquin ita turbatim non excitasset. v. not. ad C. 23 in. Ceterum confuse haec omnia concoquit, sed depromit non sine aliqua nativa ipsi gratia. Venustum lectuque iucundissimum est ex. gr. cap. 70 de Caloieris Montis Atho. — Sed *quomodo* scripserit nunc dicam.

§. 18.

5. *Bondelmontii stylus.*

Scribendi genus latinum incomtum est atque barbarum, ita ut in Epistolis Obscurorum Virorum versari te putares. Et quidem distinguo inter *Italismos styli* et *Barbarismos.* — Italismi, si hoc vocabulo uti licet, duplicis sunt generis, singularum vocum, et verborum structurae. Voces *singulas* italas usurpat plurimas, quibus locupletare possis *Cangii* Glossarium mediae et infimae Latinitatis, ex editione Monachorum S. Benedicti e congr. S. Mauri, 6 Tom. fol. Paris. 1733, quam editionem usurpans, sub siglo *Cang.* in notis excitavi librum. — Italae *verborum structurae* inveniuntur plurimae, veluti Genitivi usus pro Ablativo, et Nominativus absolutus, etc. — Saepius quoque nomina propria Italismo *scriptionis* pessime corrupta profert, quae in annotationibus videbis reprehensa.

§. 19.

Barbarismorum numerus est legio in singulis vocibus aeque atque in verborum compositione. Voces soloecae, nomina quar-

tae declinationis usurpata pro nominibus secundae, omnino declinationum sermonis bene latini regulae neglectae; verba passiva pro activis, et vice versa; copula *que* pro *et* usurpata; regimen praepositionis *in* cum Ablat. et cum Accus. semper turbatum; usus possessivi pronominis *sui* cum pronominis *eius* usu confusus; aliaque id genus plurima. In illa sermonis latini barbarie mire discrepant membra ista disiecti poëtae saepius in contextu, praeter poëtarum laudationes et excitationes, obvia.

Graecae linguae tantilla et aliqualis erat ipsi peritia; et quidem non graecam illam venustam melioris aevi linguam callet, sed incomtum isthoc tum temporis idioma, *Corayo* διορθωτῆ egens, idioma barbarum fere, quod infeliciter Graecus quidam, sex abhinc sunt anni, popularibus suis esse Homeri, Pindari, aliorumque τῶν πάνυ linguam probare conabatur. — Quanquam ne hoc quidem idioma bene novit Bondelmontius, in eo multis e recentioribus viatoribus simillimus, multas voces quidem auditu comprehenderat, sine interiore graeci sermonis cognitio-

ne. Nihilominus voces quasdam graecas, velut *αἶγας*, *σπήλαιον* et *φοιτῶνα* in latinum suum stylum intrudit. — Et fortasse, ni fallor summopere, hac ipsa e re curiosus erit Liber Insularum Archipelagi viris doctis *totius* antiquitatis studiosis. E singulis nempe, opinor, Grammaticis, factis linguisticis aeque ac methodo abundantissimis demum procedere potest historia linguae latinae vel graecae, eo sensu critica, quo Ruhnkenius typus mihi videtur ex. gr. in Timaeo Sophista. Deest nobis adhuc talis historia, et deest praesertim in graecis literis, et revera tum demum erit conscribenda quum cuiusque vocis accuratam poterimus exhibere historiam, quâcum necessario debebit esse coniuncta cuiusque syntacticae orationis structurae historica deductio. Et fortasse pro historia unius aliusve vocis latinae et graecae nonnulla invenient in Bondelmontio nova viri doctrina classica nunc principes, si quidem opus isthoc perlegere non dedignabuntur. — Credo; at non possum ullo modo probare rem pro modulo tenui virium mearum iuvenilium nimis arduam.

Omnino, ut finem faciam, Bondelmontium intueamur velut seculi sui quoddam exemplar, et, omissis tum aliis omnibus, tamen nonnulla supererunt cognitu fortasse haud penitus indigna. Rara et exilia nobis supersunt ex seculo XV. monumenta status Graeciae tum temporis. Fieri potest ut aliquas e Bondelmontii isthoc libro lacunas supplere, explere, resarcire possimus. De quibus iudicium sit apud doctiores; modo ne grandiosa et turgida videantur haec verba, quod ego, imbecillus iuvenis, nolim. — Ad *Codices* Libri transeo.

§. 20.

6. *De Libri Insularum Archipelagi Codd. Mss.*

Ut hic quoque ordo et methodus rei insit primum Libri Codices manuscriptos enumeremus eos quos *non* vidimus, deinde eós quos *propriis oculis* inspicere fuit licitum.

§. 21.

a. In *Britannia*, et quidem in Bibliotheca *Cottoniana*, quae nunc cum Museo

Britannico (British Museum) coniuncta est, duo servantur huius Libri de Insulis Archipelagi Codices Mss.; unus quidem in *Tito B. IIX.*, No. 29. fol. titulo anglico, male, credo, chartaceus, apud *J. Planta* Catalogue of the Mss. in the Cottonian Library, deposited in the Britisch Museum, 1802, fol. p. 540. b.; alter, sub *Vespasiano A. XIII*, *No.* 1, titulo latino, fol. male annum 1320 prae se ferens; Catalog. p. 435.

§. 22.

b. Codex in *Batavorum* terra memoratur unus, apud *Oudinum* l. l. cuius verbis utar: „Exemplar aliud Ms. huius operis in Bibliotheca (exstat) Petri *Francii*, in illustri schola Amstelodamensi Eloquentiae Professoris, inter libros in folio, codice vel numero 276, ut constat ex pagina 76 catalogi huius bibliothecae, qui ad auctionem anno 1705. Amstelodami ex officina Wetstenii in 8°. impressus est.“ — Fortasse codex iste in Angliam migravit.

§. 23.

c. In *Italia* et quidem *Florentiae* tantum plures exstare codices fertur. Et qui-

dem in *Archivo domus Bondelmontianae*, quod hodie fortasse apud Marchesam Ferroni latet, codex originalis; in Bibliotheca *Patrum Dominicanorum St. Marci* unus, armario secundo, a dextra ingredientibus, No. 143, v. *Montfaucon* Bibl. Bibll. Mss. T. 1. p. 426. b. et *Bandini* not. 1. in Tom. 2, Suppl. Codd., p. 55; unus, cum figuris, in Bibliotheca *Magliabechiana*, Cod. 7, Class. 13; in Bibliotheca *Gaddiana* unus, No. 2, Cod. 320; in Bibliotheca *Riccardiana* (quae nunc cum Medicea coniuncta est) in Banco M. J. No. 25 excerpta libri nostri. — De quinque his codicibus collationes typis excusae non prostant; de *Magliabechiano* v. not. ad Cap. 80, s. v. *Ensenium*. — In Bibliotheca *Laurentiana Medicea* seu *Leopoldina duo* exstant codices; alter sub titulo Pseudo-Ensenii (fortasse idem excerptis illis in Riccardiana Bibliotheca?), cuius excerpta prostant apud *Bandinium*, quem sub siglo *E* in notis attuli; laudatur apud *Montfaucon* Bibl. T. 1. p. 299; alter, sine figuris, itidem excerptus Bandinio, penes me siglo *L* indicatus. — Codex Pseudo-Ensenii apud Bandinium ita de-

scribitur: „Codex chartaceus, Ms. in fol. saec. XV; constat foliis scriptis 74." Sed inde a fol. 53 multa continet a libro Insularum Archipelagi diversa. Accuratus videtur pulcherrimusque. v. not. ad Praef. §. II. — Alter sub vero et genuino auctoris nomine ita apud Bandinium depingitur: „Codex chartaceus Ms. latinus, fol. saeculi XVI. ineuntis, optime servatus, sed valde mendosus; constat foliis scriptis 44." — Mendosum eum esse patebit e Variis Lectionibus quas exhibuimus.

§. 24.

d. Venio nunc ad Codices *Parisinos* Bibliothecae *regiae* tres, quos ipse contuli.

α. Aetate primus est Codex nunc $\overline{4825}$, membranaceus, saeculi XV ineuntis, constans foliis scriptis 42, pulcherrimus literis figurisque, scriptura latina minuscula itala exaratus, sed mendosissimus. Inde figuras aliquas hic repraesentari volui. Diversos prae se ferebat e diversis temporibus numeros; primum $\overline{203}$, cum his verbis: *„Liber Insularum mihi Nicolao Holtmann a Godefrido Wiggerinck cive Lu-*

bian. (i. e. *Lubiano; Lubiana* Italis quae nunc *Laibach.*) *consanguineo meo, dono datus, anno Christianae salutis* 1517, *idibus Junii;*" et alia manu: „*Quem rursum delegavit idem optimus et eruditissimus vir Dominus Nicolaus d. Hieronymo Wigg.* [i. e. Wiggerinck] *eius* [num superioris?] *filio, anno* 1529." — Folio subsequenti albo numeros vides istos: CIↃCXIV; — 1214, quo sub numero laudatur apud *Cangium Bandiniumque*; — 5214, qua sub nota excitatur ab *Oudino* et a *Montfaucon* T. 2. p. 755. b. Codicem hunc sub siglo *A* laudavi in Annotationibus.

β. Aetate secundus est Codex qui nunc notam 4824 prae se fert, olim 10180, et ita laudatus apud *Montfaucon* T. 2. p. 894. a; chartaceus, foliis constans 52, olim Domini Dufresne, saeculi XV ineuntis, exaratus scriptura cursiva itala. Omnino optimus trium Parisinorum, saepius autem pro Bondelmontii latinitate nimis expolitus. Nota *C* eum designo.

γ. Aetate tertius est Codex chartaceus, exaratus scriptura cursiva francica, saeculi XVI; olim *Colbertinus.* Prius fuerat *Thuaneus*, quod probatur elementis quibusdam prorsus fere deletis, in primo albo folio. De quo male *Oudinus* l. l. ita: „Exstat, ut creditur, autographus (liber) inter Codd. Mss. Parisiis Bibliothecae Thuaneae, qui iam omnes pretio emti ad Colbertinam [et ex ea in Regiam] Bibliothecam, dum Parisiis eram, accesserunt. Vide Catalogum Bibliothecae Thuaneae tam librorum ibidem impressorum quam Mss., qui anno 1679 Parisiis 2. in 8°. tomis impressus est." — Oudinus codicem sane non inspexit, alioquin codicem scriptura recentiori calamoque festinanti exaratum, literisque initialibus memorabile illud Anagramma efficientibus *rubeis* carentem non credidisset Autographum. Etsi autem docti quorumque temporum male pingant, hoc de librorum auctoribus valet, de librariis amanuensibus minime. — In Bibliotheca Thuani notam 22 prae se ferebat, quem ibi Palmerius excussit;

v. Graec. ant. l. 2. c. 10. p. 363. — In *Colbertina* numero $\overline{1553}$ insignitus, ita excitatur apud *Montfaucon* T. 2. p. 950. b. Postea notam habuit $\overline{10180}$; nunc autem per $\overline{4823}$ circumfertur. Quem siglo *B* indicavi, et, ob supra memoratas rationes, inde a Cap. 33 ubi de lectione dubitabam contuli. E codice A, seu $\overline{4825}$ descriptus mihi videbatur. — Apud *Mazzuchellium* l. l. numeri $\overline{4834}$ et $\overline{4835}$ typothetae sunt, opinor, errores pro veris 4824 et 4825; nam illos numeros codices isti nunquam prae se ferebant. Errorem ergo in apographo meo quod ad calcem praefationis leges, correxi.

Quomodo nunc codicibus istis aliisque copiis usus sim in *tertia* praefationis parte exponam.

PARS

PARS TERTIA.

Quid a me in hac editione praestitum sit.

---

§. 25.

Textum damus et annotationes annectimus. De *orationis emendandae ratione* ergo primum, dein de *ratione annotationum* dicendum.

§. 26.

1. *De orationis emendatione.*

Quinque, ut vidimus, codicibus in initio et in fine, tribus autem, duobusve potius, per totum libri decursum adiutus, secutus sum Cod. A. regium ubique fere, nisi ubi menda erat aperta. Ubi in lapsu enormi, Auctoris stylo non tribuendo uterque Codex A et C. consentiret, alicubi textum sanavi, pravasque lectiones in notis accurate indicavi. Saepius autem textum exhibeo mendosum et emendationem in nota propono, et hoc quidem ubique, ubi de emendationis ratione mihi certo non constabat. Ceterum

credo saepius verum me vidisse, quum e duodecies libri repetita lectione Bondelmontii barbarum stylum bene satis perspiciam. Sin autem saepius lapsus sum, ignoscat mihi benevolus lector. Varias diversorum codicum lectiones omnes diligentissime exhibui, non quia tanti essent, nec sine magno ramentorum taedio, sed ea ratione ductus, quod editio mea prima est, ultimaque libri, ut videtur, erit in futurum, quum liber doctiori me editore admodum revera est indignus. At quidem, ut omnia dicam ingenue, in conferendo Cod. *B.* inde a Cap. 33 negligentior fui. Quum in patria versarer varias ex ipso decerptas lectiones non habui, quum in prima mea Parisiis commoratione eum conferre propter temporis angustiam non potuerim; et nunc res non tanti videbatur. Lectiones quas dedi varias sufficiant critico lectori.

§. 27.

2. *De ratione annotationis.*

Praeter varias lectiones, de quibus modo dixi, in annotationibus *verba* volui interpretari, *et res* libri.

§. 28.

Verba interpretatus sum praecipue e styli Bondelmontiani ratione interna; Italismos autem e linguae vulgaris quae mihi erat satis tenui cognitione; etymologias graecas tum temporis adhibita lingua graeca hodierna, quam probe teneo et cui Parisiis per annos 1820 et 21, duce et auspice *C. B. Häsio*, viro in his literis unico, operam impendere coepi: hâc dico omnes fere quas proponit etymologias noster explicare et iudicare potui. *Cangii* Glossaria ut etiam *Ruddimanni* Institutiones contuli quoad latinitatem.

§. 29.

Quod *ad res* attinet, geographiam in notis unice spectavi; cetera intacta fere dimittens, auctorem obiter verbo corripere, ubi peccasset, satius duxi. Poëtarum autem aliorumque veterum locos, quos excitat noster, ubique, quando quidem investigari poterant, quod saepius mihi iuveni non successit, sedulo cum fontibus ipsis contuli. Geographiam vero ita tractavi ut ad *Cellarii Mannertique*, sicubi de *veterum* geogra-

phia agebatur, libros lectorem ablegare satis duxerim. *Cellarii* Orbem antiquum ex editione laudo *Schwarzii*. *Mannertum* autem dico in doctissimo hercle opere: Geographie der Griechen und Römer, et ubi voluminis numerus non diserte laudatur, tomus est *octavus*. *Cellarium* siglo *Cell.* seu *Cellar.*, Mannertum sub siglo *Mann.* ubique fere excito. *Plinium* semper contuli in Hist. nat. ipse, saepius *Strabonem*, editione usus mere graeca *D. Corayi*, quae 4 tomis Parisiis 1815—19. 8°. prodiit, et cuius volumen quartum annotationem (σημειώσεις) continet.

§. 30.

E *recentioribus* per Graeciam viatoribus complures adhibui. E *Gallis Tournefortium* ex editione Amsterd. 1718, 2 tom. 4°; tomum *primum*, ubi pagina tantum est apposita, sub siglo *Tourn.* vel *Tournef.*; *G. A. Oliverium* (*Olivier* Voyage de l'Empire Ottoman, etc. 6 Vol. Paris 1807. 8°.) aliosque. Ex Italis *Nigrum*, *Porracchum*, *Boschiniumque*, nostri epitomatores, plagiarios. Ex *Anglis Dodwellum*, e versione germanica (*E. Dodwell* Reise durch Griechenland, über-

setzt von *Sickler*; in der Bibliothek der neuesten Reisen in die klassischen Länder der Vorzeit. Meiningen 1821—22. 2 Tom. in 4 Partt.; et quidem ubi nota tomi deest, tomi primi pars prima intelligitur; *Hollandum* e versione germanica (Dr. Lord Henry Holland, Reise durch Griechenland, etc. in: Neue Reisen der Engländer, T. 3. Iena, Cröker, 1816. 8°.) aliosque; e *Germanis* adii *Sieberi* Cretae iter, et librum geographicum cui titulus: *Gaspari* und *Hassel* Handbuch der Erdbeschreibung. Part. 3, Vol. 1, et Part. 4, T. 2; aliosque, quorum mentionem annotationibus iniectam accurate videbis. Quorum omnium, ut ex annotatione patebit, Tournefortius princeps manet. — His contentus fui, iique, opinor, sufficiebant; nam quis sanus a Bondelmontii editore eadem atque ab editore Strabonis, v. gr. exspectet? — *Recentiorum Graecorum* duos eosdemque unicos, credo, geographos contuli, quorum librorum rarissimorum titulos describam accurate. Alter est *Meletius*, Geographus, in libro: *Μελετίȣ Γεωγραφία παλαιὰ καὶ νέα, συλλεχθεῖσα ἐκ διαφόρων συγγραφέων*

παλαιῶν τε καὶ νέων, καὶ ἐκ διαφόρων Ἐπιγραφῶν, τῶν ἐν λίθοις, καὶ εἰς κοινὴν διάλεκτον ἐκτεθεῖσα χάριν τῶν πολλῶν τῦ ἡμετέρυ γένυς. — Προσφωνηθεῖσα δὲ τῷ ἐντιμοτάτῳ καὶ εὐγενεςάτω Κυρίῳ Κυρίῳ Παναγιώτῃ Σαράφῃ. Τανῦν πρῶτον ἐκδοθεῖσα τύποις καὶ μετ᾽ ἐπιμελείας διορθωθεῖσα. Ἐνετίῃσι (Venetiis) *ᾳ Ψκῃ* (1728) *παρὰ Νικολάῳ Γλυκεῖ, τῷ ἐξ Ἰωαννίνων.* fol. 620 pagg. et indice copiosissimo. De Meletio v. *Leake* Researches in Greece Lond. 1814. Sect. 3. p. 171, cum nota, praesertim autem notitiam de eo insertam in *Biographie universelle*, auctore *Nicolo-Poulo*, Smyrnaeo, viro his in rebus pluris aestimando.

Alter liber graeco vulgari idiomate conscriptus titulum prae se fert: *Γεωγραφία νεωτερικὴ. Ἐρανισθεῖσα ἀπὸ διαφόρυς Συγγραφεῖς παρὰ Δανιὴλ ἱερομονάχυ, καὶ Γρηγορίυ ἱεροδιακόνυ τῶν Δημητριέων. Νῦν πρῶτον τύποις ἐκδοθεῖσα επιςασίᾳ τῶν ἰδίων, καὶ φιλοτίμῳ χρηματικῇ συνδρομῇ τῦ ἐντιμοτάτυ κυρίυ Ἴβυ Δροσινῦ, Χατζῆ,* (Hadgi, sc. qui S. Salvatoris sepulchrum Hierosolymis inviserat) *Ἴβυ τῦ ἐξ Ἀμπελακίων.* —

Τόμος πρῶτος περιέχων τὴν Εὐρωπεικὴ Τȣρκία, Ἰταλία, Σπάνια, Ποϱτȣγαλλία, καὶ Φϱάντζα. Ἐν Βιέννῃ, παϱὰ τῷ εὐγενεῖ κυϱίῳ Θωμᾷ τῷ Τϱάττνεϱν. 1791. 8°. — De hoc memorabili opere egit fuse Leake l. l. Sect. 3. p. 172—186. — Meletium sub siglo *Mel.*, Danielem sub siglo *Geogr. hod.* seu *Geogr. nov.* laudo.

§. 31.

Et haec quidem de notis meis. Libro duos insuper addidi indices Insularum et capitum; priorem ex ordine capitum, nomina exhibentem primo loco antiqua, secundo Bondelmontiana, tertio denique nomina hodierna, quemadmodum ab Italis efferuntur. Quae tabula, quam Conspectum Insularum nominavi, aliis quoque libris inservire posset. Index alter est alphabeticus et nomina hodierna tantum exhibet, ut magis extra dubium posita.

Haec fere erant quae in nostra praefatione de Bondelmontio, itemque de isthac editione videbantur monenda.

§. 32.

Restat nunc ut ex animo grates agam quam plurimas Viris doctissimis qui in hoc labore benevole me adiuverunt consiliis librisque. E Germanis primus mihi nominandus *F. W. Clossius*, Vir ill., Professor et Bibliothecarius Tubingensis, cuius amicitiae debeo quod liber meus denique, a *G. Reimero*, rei librariae Germanorum magno decore, munificenter sumptibus erogatis, lucem possit adspicere. Utinam et in posterum amicitia illa, in Parisino contubernio per aestatem 1820 cum Clossio, V. S., contracta semper mihi floreat vitaeque meae res saepius haud laetas exhilarescere pergat! — Inter populares laudandi et nominandi mihi I. Caspar Orellius, Professor Turicensis, classicarum literarum inter Helvetos princeps fere, laudandusque H. Meyerus, aliique qui librorum excerptis quos Bernae in bibliotheca publica non inveniebam, benigne me adiuvabant. — Gratias multas debeo dicoque Viro nobilissimo Marchese *Iosepho Pucci*, Florentino, qui ter quaterve literas meas cum quaesitis variis misit Florentiam Viris egregiis qui in

annotatione laudibus debitis efferuntur. — Parisiis primus mihi laude praedicandus V. egr. C. B. *Hase*, cui usque ad vitae meae ultimum spiritum doctrinam non solum e praelectionibus eius publicis petitam et familiari colloquio fusius explicitam gratissimo acceptam referam animo, sed cuius candida amicitia vitam meam nunc facit hilarem. Tanta huius viri benevolentia ut sim dignus olim, omnibus viribus enitor. Ipsi accuratas debeo de Codicibus Parisinis notitias, debeo legendorum Veterum Codd. Mss. facultatem, debeo plurima. Ipsi hasce tenues studiorum meorum primitias dicatas esse volui. — Gratias ago multas quoque V. ex. Gailio, Raoul-Rochettae, Custodibusque Bibliothecae Mazarineae et Bibliothecae Instituti Francici, aliisque multis Viris doctis, qui non solum Parisiis sed apud exteros quoque doctrinae literarumque laude florent.

§. 33.

Ad graecas literas totus nunc redeo. Epistolas ineditas *Imperatoris Manuelis Palaeologi*, e codice unico Parisino regio 3041 descriptas in scriniis servo, edendas

quum redemtorem invenero. Edam, si Deo placet, aliquid de lingua graeca vernacula, cui, veluti diverticulo, non mediocrem iam navavi operam. — Utinam aliquando viro mihi, qui nunc iuvenis vigesimum tertium ago annum, graecas antiquas literas publice docere contingat!

Interim vale, erudite Lector, hisque fruere et si quae peccavero (offendi autem saepius fortasse ob spinas huiusmodi rei) ea benevolenter ignoscas rogo atque oro.

Scripsi Parisiis, die III. Aprilis 1824.

Finis Praefationis.

MAZZUCHELLI.



MAZZUCHELLI

SCRITTORI D'ITALIA;

Vol. II. Parte 4, p. 2374.

Buondelmonti (Cristoforo de'), Prete Fiorentino, viveva nel 1420. *Fu versato nelle Lingue Greca, Latina, e Volgare, e nella Geografia. Gli piacque il viaggiare in rimote Provincie, e trovandosi in Rodi descrisse le Isole dell' Arcipelago e quella di Candia. Questa Descrizione da lui indirizzata nel* 1422. *al Card. Giordano Orsini* (1) *si conserva a penna in varie Librerie. Un Codice esiste originale nell' Archivio della nobile Casa Buondelmonti in Firenze. Un altro si conserva nella Libreria de' Padri Domenicani di San Marco di Firenze nell' Armario II. a destra entrando in essa Li-*

breria, ségnato del num. 143. *Uno esiste colà nella Magliabechiana al Cod. VII. Classe XIII. fra' Codici Mss.; e l'altro nella Libreria Gaddi al num.* 2. *del Cod.* 320. *Nella Libreria Riccardiana pur di Firenze al Banco M. I. num. XXV. si conservano:* Insulae Aegei maris a Christophoro Bondelmontio, ut videtur, et a Fontio excerptae. — *Due stanno nella Regia Libreria di Parigi fra Codici manoscritti Latini segnati de' numeri* 4824 *e* 4825; *e uno se ne conservava nella Libreria Colbertina passata poi nella Regia di Parigi, segnato del* 4823. — *Da quest' Opera ha tratta la Descrizione di Costantinopoli Carlo Du Cangio che illustrata con le Annotazioni di questo uscì con l'Opera* De rebus gestis a Ioanne et Manuele Comnenis Impp. Constantinopolit. Parisiis, e typogr. regia. 1670. in fogl. *nella quale si legge a car.* 179. — *Anche Gio. Boivin, e il P. Anselmo Banduri si sono di essa serviti per illustrare le loro antichità di Costantinopoli* (2). — *La descrizione dell' Isola di Candia, trovata fra' Mss. del dottissimo P. Gio. Benedetto Mittarelli, Monaco Camaldolese, ma alquanto succinta, è stata pubblicata con dilettevoli note nella Par. I. della* Creta Sacra *del cele-*

bratissimo Senator Flaminio Cornaro, *che ha pur ivi data fuori, dietro alla suddetta, altra più diffusa descrizione di detta Isola del medesimo Buondelmonti* (3). — *Parlano di lui onorevolmente il Poccianti* (4), *Gio. Gerardo Vossio* (5), *Isacco Vossio* (6), *l'Allervordio* (7) *e l'Oudin* (8) *e ne ha fatta menzione anche il Riccioli* (9). *Oltre la suddetta Opera Ms. si vuole dal Poccianti che componesse molte altre Operette, delle quali il detto Poccianti non ci reca precisa notizia.*

---

(1) *Il* P. Negri *nell'* Istoria degli Scrittori Fiorentini (*Ferrara*, 1782. *fol.*) *a car.* 137. *scrive che la mandò al detto Cardinal Orsini da* Cipri; *ma egli è certo che gliela indirizzò da* Rodi, *e ciò si ricava dall' Opera istessa, siccome pur afferma il* Giornal. de' Letterati d'Italia *nel Tomo XI. a car.* 32. *ed il* Fabrizio *nel Tom. I. della* Biblioth. med. et inf. Latinitatis *a car.* 702.

(2) Manni, Nuova proposiz. contenente la Diplomatica, *pag.* 34.

(3) *V. anche le* Memorie per servire alla Stor. Letter. dell' Agosto. 1756. *a car.* 4 *e* 5; *e le* Novelle Letter. di Venezia *del* 1756. *a car.* 281.

(4) Catalog. Script. Florent. *pag.* 36.

(5) *De Hist. Latin. Lib. III. pag.* 803; *e De Scient. Mathemat. pag.* 413. *dell' edizione d'Amsterdam* 1650.

(6) *Observat. ad Pompon. Melam, pag.* 210, *è de Natura artium Lib. III, cap. LXIX.*

(7) *De Hist. Latinis Spicilegium, pag.* 695.

(8) *Comment. de Scriptor. et Scriptis eccles. Tom. III. col.* 2331.

(9) *Chronol. Reformat. Tom. III. pag.* 213.

CHRIS-

CHRISTOPHORI BONDELMONTII,

FLORENTINI,

LIBER INSULARUM ARCHIPELAGI.

„Id semper mihi mentis fuit opera, vel levissima „quaeque, Veterum manuscripta, esse typis omnino „omnia quam accuratissime et integerrime describenda, „nec tineis et Vulcano in bibliothecarum seu βιβλιο-„τάφων forulis relinquenda."

I. F. Boissonade, *Praef. ad Nicetam Eugenian. 1819. pag. XII.*

Incipit liber *Insularum Archipelagi*, editus per Presbyterum *Christophorum de Bondelmontibus de Florentia*, quem misit de civitate *Rhodi Romam* Domino *Iordano* Cardinali *de Ursinis*, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo secundo.

PRAEFATIO.

I.

Constitui, pater reverendissime Iordane Cardinalis, meis itineribus tibi librum Insularum Cycladum atque aliarum in circuitu sparsarum destinare figuratum una atque suis temporibus priscis usque in hodiernum diem gestis. Quae postquam periculis infidelium parvisque procellis omnia in sex percensita annis. Iam exacta adolescentia atque mea Florentia relicta, Colossensem amoenissimam petii civitatem, ut finis animo esset meorum iam laborum et aliarum hinc inde scalarum ascendere. Igitur postquam aliqualis Graiarum litterarum mihi notitia patuit, amor tuae caritatis ad aures tui servuli velociter convolavit; qui, postquam ostio meae mentis adhaesit, ut semper ibi commoraretur, ab isto libro, iam per me denuo ordinato et tibi directo, detentus est. Ergo,

precor, cape munusculum a longis itineribus missum, in quo multa antiqua patrum narrata succincte videbis, et heroum magnalia antiquorum per totum congesta germinantur. Cernes insuper montes cum fontibus, una in pascuisque campis descendere nymphas, et in arentia saxa egas vagantes ubique; denique portus, cum promontoriis illis adstantibus scopulis, et oppida cognosces et maria pandentur in ipsis. — Sitque finis admodum nostrae ingressionis, pater, et nomina deinceps omnium insularum atque locorum, de quibus tractaturi sumus, ordinatim hic ponamus, ut cito legentibus iter pateat sine labore. — Ergo meum inceptum a *Corfu* dirigatur, quae hodie a multis prima Graeciae versus occiduum est appellata. Deinde *Pachisos*, *Leuchata*, *Dulichia*, *Cephalonum*, *Iacinthus*, *Strophades*, *Sapientia*, *Chituria*, *Sequilus*, *Creta*, *Carpathus*, *Rhodos*, *Simiae*, *Caristos*, *Dilufanos*, *Caria*, *Astympalea*, *Aegasa*, *Sicandros*, *Policandros*, *Polimio*, *Milos*, *Siphanos*, *Serfinos*, *Thermia*, *Cea*, *Andros*, *Caloieros*, *Tino*, *Myconos*, *Delos*, *Suda*, *Paros*, *Antiparos*, *Panaya*, *Naxos*, *Podia*, *Raclea*, *Chiro*, *Nio*, *Anafios*, *Buport*, *Chinera*, *Levata*, *Caloieros*, *Choa*, *Claros*, *Herro*, *Pathmos*, *Dipsi*, *Crusie*, *Icarea*, *Mandria*, *Agathusa*, *Formacus*, *Samo*, *Furni*, *Tenosa*, *Psara*, *Chios*, *Lesbos*, *Tenedos*, *Gallipoli*, *Marmora*, *Calonimo*, *Scopuli Caloierorum*, *Polis*, *Stinlimini*, *Embaros*, *Mandrachi*, *Taxo*, *Mons Sanctus*, *Sanstrati*, *Limen*, *Dromos*, *Macri*, *Sciathi* et *Scopuli*, *St. Helias*, *Schyros*, *Egrippos* *Aeginaque*.

II.

Restat nunc, pater, generales demonstrare particularitates et provincias circumcirca positas cum marium plenitudine et qui in hodiernum dominantur in illis. Dicitur ergo *Archipelagum* mare quasi *dominus maris.* A Rhodo igitur per lineam rectam usque Maleum promontorium milliaria CCCCL, et a Creta usque Tenedon D. mil., in quibus totum mare concluditur Archipelagi. Huic Asia minor adhaeret, in qua Ciliciae, Pamphiliae, Phrygiaeque Baetuliae provinciae ampliantur. Sed postquam Turci eam diu possedere ab iis Turcia nomen accepit, qui, ruentes per civitates sine moeniis, populi sub eis pacifice gubernantur. Ad occiduum postquam mare transitur Hellespontum, Graecia statim plana ampliatur, et in omnibus usque Andrinopolim fertilissima nimis, et a laeva tendens versus Thessalicam provinciam populata satis reperitur; ubi civitatesque loca delinquimus et ad montes devenimus altos, cito ad Euboiamque Athenarum loca pergitur ultra, quarum pars maxima a Turcis possidetur. Aegaeum vero mare volunt antiqui ab Aegeo rege et patre Thesei dictum, quod ab Hellesponto incipit, et multos abluens sinus usque Maleum distenditur promontorium. *Cyclos* enim graece, latine *circulus,* eoque omnes insulae rotundae inter istos Archipelagi scopulos ex Cycladibus vocabantur. — Peractis igitur generalibus divisionibus huiusmodi descriptionis, ad particularitates dictarum insularum revertemur. In quibus dum rubeas enumerabis ipsarum litteras nomen meique tui et quo in locoque tempore perfeceram opus manifestabis. Ea propter

ut cuncta comprehendas, in nigro montes, in albo planities, in viridi aquae panduntur manifeste.

1.

Insula haec, quae prius ostendetur, *Cercyra* vel *Corcyra* a rege olim dicta est, quae hodie *Corfu* nominatur, et C. mi. cir. Versus autem meridiem montuosa per totum remanet, quibus montibus arbores Valanidarum fructificantur. In *Amphipoli* vero promontorio oppidum *Sancti Angeli* munitissimum erigitur, quod a longe nautae prospectant. Ab oriente vero usque *Corfu*, et ultra, ex parte trionis planities amoena et multarum habitata gentium ampliatur, et in ea olim *Cercyra* urbs deleta cernitur, tormentisque columnis ampliata. *Phalarius* mons altissimus ab ea videtur, qui Dodoniam sylvam in terra conspicit firma. In qua, ait *Ovidius*, templum fuisse Dodoneum maximum Iovi sacrum, in quo duas de coelo columbas descendere solitas et veteribus insidere quercubus, et ex eis postulantibus responsa dare. Tandem ex eis, ut aiunt, altera transvolavit in Delphos, Boeotiae civitatem, et ibi Apollinis Delphici clarum fecit oraculum; altera ad Ammonis Iovis templum in Africa transmigravit. In radicibus autem montis huius scopulus est, quem ad similitudinem Ulyxis navem fuisse dixere vetusti. Prope vero *Leucinnam* promontorium *Cassiopis* moenibus erectis et iam a piratis olim desolata videtur, cuius in radicibus planities una cum infecta palude probatur. A latere vero horum moeniorum ecclesia Matris Domini ab hominibus visitatur multis, qui exauditi repatriantur hilares. Ad trionem

vero Epirus a rege dictus altissimis incipit montibus, in quibus Heleni propinqua matre Troiaque, et Butroto nunc panditur ultro.

Virgilius:

„Litoraque Epiri legimus portuque subimus
Chaonio et celsam Butroti ascendimus urbem.“

Per hanc igitur insulam Titus Q. Flaminius, ut securius pergeret ad romanum exercitum, bellum cum Philippo Macedoniae rege facturum, transitum fecit.

2.

Supra Corcyram ad orientem *Pachisos* est insula X. mi. In qua sine moeniis villa est paucorum possessa hominum propter Turcorum insidias. Media ergo ad orientem plana remanet, vineisque domesticis arboribus foecunda, et portus tutus in ea concluditur. Quae, ut aiunt, una cum Corcyra olim tenebatur insula. Sed propter crebras tempestates Neptuni atque Aeoli terra tenax, quae inter duarum insularum medio est inventa, mare efficitur, et Corcyra ab illa parte die ac noctu minuitur.

3.

Transiens nostra ratis ad orientem per C. mi. antiquum olim *Leucon* montem subimus. Et iam diu inter ipsumque adiacentes colles mare deveniens propter fluxumque refluxum quater in die, LXXX mi. insula est effecta. Quae inter umbrosas valles

fontium irrigua efficitur nimis, quo in medio campus rurium circumdatus est, et cum armentorum multitudine videtur. Ad orientem vero portus concluditur, et, si ad trionem prosequeris, alterum tutiorem reperimus qui a montibusque sylvis ac fontibus est ornatus. Cumque non diu procedes, fons in litore fluentissimus reperitur. Quo in loco viatoresque circumstantes refrigerantur. A laeva vero in radicibus montium civitatem vetustissimamque deletam olim videmus, in qua templum Apollinis erat vetustum. Et in eo loco Aeneas discedens a Troia arma dimisit Abantis.

Virgilius:

„Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, parvaeque succedimus urbi."

Deinde, peractis seculis hanc Octavianus Caesar restauravit deletam civitatem, quae *Nicopolis* appellabatur, ibique templum Apollinis aedificavit, postquam Antonium in hunc locum atque Cleopatram devicerat.

Virgilius:

„Hic Augustus agens Italos in proelia Caesar."

In conspectu vero huius in mari turris est, a qua non longe oppidum cum ponte denotatur, ubi aër infectus spirat. Quibus in locis ampla pandebatur planities. Si autem ad trionem accedes silvam et *Ambrachium* sinum offendes. Ad orientem denique insulae incultae propalantur, in quibus olim habitavere Patres, nunc tandem propter insidias piratarum ad desolationem devenere.

4.

Ostendimus Leucatam. Nunc ad *Dulichiam* transimus, quae olim *Ithaca,* et nunc *Val di Compare* nominatur, altis rupibus circumsepta. Quae montuosa et inutilis, nisi in medio exiguus planus aliquibus arboribusque casis habetur, et circumcirca portuosa satis. De oriente ad occiduum XXX, et in latitudine III. mi. ampliatur. Cuius quidem duo extrema in duobus aperiuntur cornibus, nautis in nocte periculosis. Fuit etenim hic, ut asserunt, ille eloquentissimus Graecorum Ulyxes, qui quasi ad omnia modum inveniebat. Penelopem, Ithaci filiam sumpsit in coniugem, et ex ea Telemachum suscepit filium. Tandem, rapta Helena a Paride, ire ad Troiam coactus est et se insanum simulavit, et, veniente Palamede ad Ithacam, animalia diversi generis iugo iunxit ad aratrum et sal seminare compertus est. Verum Palamedes, astutiam viri suspicatus, capto parvulo Telemacho, ad explorandam ingenii sui fraudem, eum aratro opposuit. Ulyxes autem, viso filio, confestim dimovit aratrum, et, sic cognitus in expeditione ire coactus est. Capta denique Troia in concione cum eloquentia sua arma Achillis contra Aiacem vicit. Postquam igitur a Troia recessit, et conatus visitare patriam, multis quippe agitatus procellis, in longissimos errores ac peregrinationes decennes evectus est. Tandem, multa in itinere passus, ad hanc devenit insulam, et, facto in domo sua cum procatoribus Penelopis proelio, non multo post tempore vitam finivit.

Virgilius:

Et fugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna,
Et terram altricem saevi execramus Ulyxis.

5.

Finis de Ithaca. De *Cephalonia* incipiamus. Quae olim *Cephalonum* dicta et in montibus tota. *Cephali* graece, *caput* latine, quia apparet nautis ab austris venientibus rotunda velut hominis caput; vel quia a tempore Troianorum usque hodie caput dominii insularum istarum haec fuit, et titulus ducati huius ab ea inchoatur. Legi enim in antiquis chronicis Ulyxem ducem fuisse regionis huius, et a Cephalonia titulum inceptabat. Quae rotunda et in montibus aspera C. cir. mil. Cuius in medio mons elatus erigitur, hodie *Leo*, sine flumineque scaturiginibus aquarum, dicitur. In quo multitudo fagorumque pinorum per circuitum insurgunt, et, quod plus est, silvestria non pauca, errantia sine potu, et nusquam aquam invenientia, ore aperto auram e montibus recipiunt in potum aestate illa. Serpentes etenim et aspides ibi inveniuntur, qui, calorem sentientes humanum, sine laesione cum eo dormiunt. Ad orientem vero in litore Francisci ecclesiam adoramus, et ab eo aedificatam, quo in horto omnia dulcia producebat. Fuit etiam insula haec quasi ultima quam tempore belli Macedonici Romani ceperunt in deditionem. Ad occiduum ergo *Viscardus* portus, a Roberto Viscardo, domino Apuliae, dictus, apparet. In qua olim *Petilia*, ubi Chilon, Lacedaemonius philosophus, aliquibus annis stetit, ut dicit *Epiphanius* Cypricus, et tantae exstitit auctoritatis industriaeque, quod in templo Apollinis aureis litteris haec scribi fecit: Nosce te ipsum. Cuius praecepti tanta vis est, ut scribit *Cicero*, quae nulli hominum tribuetur. Cum enim dicit: nosce te, animam tuam intelligit; nec intellexit de membris, aut

statura, quod est facile, sed intellexit, ut cognitos defectus animi reformaremus, et quod actibus nostris nosmet ipsos metiamur; nec inertia sinamus corrumpi nobilitatem nostram, aut opinione tumefacti, audacia ridicula corrumpamus. Belisarius denique, nepos Iustiniani Augusti, classe sua huc venit et eam a procellis reparavit. Qui, audiens Italiam a Gothis iniuste subiugatam, pietate motus, classe sua in Africam devenit et Gothos ab eaque Trinacria expulit. Deinde, pervento Neapolim, quia patefactae portae non fuerunt, per annum in obsidione stetit. Qua capta, viros, mulieres et infantulos, et quos in ea reperit, igni ferroque defixit; deinde, versus veniens Romam, Gothi fugam arripuere. — Contra vero Ithacam *Samus* est et ad meridiem portus *Sti. Isidori* manifestatur.

Virgilius:

„Iam medio apparet fluctu nemorosa Iacynthus
Dulichiumque Samos et Neritos ardua saxis."

6.

Ostendimus de Cephalonia. Nunc de *Iacyntho* dicemus. Fuit ergo Iacinthus vel a quodam domino vel a flore dictus, quia florida et amoena habetur. Et contra Corinthiacum sinum sita est; ex qua in Hispaniam ivisse dicitur qui Saguntum, oppidum nobile, Romanorum amicissimum condiderunt, quod ab Hannibale expugnatum deletumque fuit. Haec etiam *Hierosalem* olim nominata est. Quae, cum Robertus Viscardus, Apuliae dux, sepulchrum visitare dispositus, et in somnis revelatum est, ipsum

Hierosolymae moriturum. Ille autem Cephaloniae deveniens, ut dictum est, ad hanc applicavit insulam et, aegrotus in loco, ut audivit nomen insulae Hierosalem nuncupari, paucis exspiravit diebus. Ad trionem ergo plana pascuisque ruribus opulenta apparet. Ad orientem vero portus, *Nacte* dictus, est, quo coram in campo lacus picis liquidae restat, in quo bos, punctus a musca cecidit et statim suffocatus est. Iuxta enim hunc navis onerata Malvasiae in nocte caliginosa, ventis prosperis, in eadem arena, velis tumidis, ignari navigationis, sine laesione irruit et sic immobilis effecta est. Veronica etiam, audiens nomen huius insulae Hierosalem, ob devotionem in eam ascendit et ibi, ut dicitur, sudarium Christi demonstrans, et mortem Salvatoris dum praedicaret, ad fidem devote sunt reversi. Ad orientem, in ripa, ut aiunt, vena metallorum reperitur, et per totam meridiei plagam inter umbrosas arbores in montibus elevatur. Ubi ad occiduum venimus *Pilosusque Sancti Nicolai* porti includuntur optimi, et salinarum planus prope aperitur. Ad trionem denique prope medium civitas insurgit, quae a terraemotis saepe deleta est. Ibique ducissa mecum in progenie sepulta iacet. Ambit insuper LX. mi., aëre bono atque placabili delectatione omnium habitantium.

Virgilius:

„Iam medio apparet fluctu nemorosa Iacinthus.“

7.

Restat nunc, Iordane, Pater, in hoc Ionio mari ad austrum scopulos tibi demonstrare sanctissimos, qui olim obsecratissimi habebantur, *Plotae* dictae, unius milliarii in circuitu, deinde *Echinnadae*, ab Echinnis, piscibus in Acheloo flumine propinquo, postea *Strophades* a *Strophe* graece, *reversio* latine interpretatur. In ea igitur fraternitas Caloierorum resedit, quae cum piscibusque aqua asperam trahit vitam. Et quia, semel a barbaris captivi, omnes venditi fuerunt, moderni colentes, ut secure viam Dei contemplari possent, turrim aedificavere, in qua vere vitam gerunt heremiticam, et ex omni progenie plus quam quinquaginta ibi coadunati recreantur. Haec igitur, cum parva propinqua, tempore Phinei, regis Arcadiae, a piratis habitatae fuere; certum est, qui, scientes ipsum filios suasu Arpalicae, eorum novercae, caecasse, et in huius sceleris ultionem usque in Arcadiam Phineum obsederunt et ad miseriam reduxerunt. Quos Cetus et Calaïs, Arpalices fratres, fugaverunt, ipsumque Phineum a piratis liberavere et piratas usque ad istas pepulere insulas. Ergo ipsi iuvenes dixerunt *Strophades*, hoc est: reversionem immutavere insulis. Tempore igitur Aeneae, qui a Troia profugus, petens Italiam, cum hic applicuisset, suisque comitibus epulantibus, Arpiae, de Arcadia pulsae, has insulas colentes, pabula aut rapiebant unguibus, aut tactu foedissimo polluebant, et ab eis ferro expulsae, Celaeno, earum maxima, dixit:

Virgilius:

„Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,

Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis assumere mensas."

Ergo dictae sunt Arpiae a voracitate, quia ibi piratarum congeries omnes applicantes foedabant avaritiae et rapinae.

Virgilius:

„Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Excipiunt. Strophades Graio sic nomine dictae,
Insulae Ionio in magno: quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira Deûm Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame."

Nunc autem de malo in bonum hae insulae sunt reversae, quae, quanto magis olim procul navigantes sistebant, tanto melius nunc affectuose, devotis precibus, eis adhaerere festinant. In quibus turris cum ecclesia est, et Caloïeri horis canonicis in eam conveniunt, ubi *Guminus*, i. e. *prior*, vitam sanctorum patrum coram omnibus legendo declarat. Igitur quid sit vita istorum, iudica, pater, quia certe asperrima reputatur, cum spatium habeant unius milliarii et a terra octingentorum stadiorum elongati. Ibi carnes neglectae sunt, et cum piscibus, saepe a sole combustis, paneque arido et aqua vitam sustentare congaudent, ut Altissimo immaculatam quilibet suam possit reddere animam.

8.

Venio inde *ad Sapientiam*, coram Modonense civitate, quae parva et infructuosa apparet, et dicta est Sapientia, ut navis transeundo sapienter a scopulis ibi occultis se custodiat, vel quia ibi mulier graeca cum habitaret, futura incantationibus transeuntibus resolvebat. Cuius in medio mons erigitur, in quo Modonenses velum a longe vigilant, ut circumstantibus innotescat. Ad orientem vero aliquae apparent insulae incultae et ab aegis habitatae. Quarum minor, tempore magni Amurati Turcorum, una biremis infidelium, in tempestate noctis, hic applicuit, quae subito ecclesiam invasit. Cumque circum consisterent et Caloierum psallentem audirent, porta ecclesiae nusquam inventa est, et sic usque mane ibi remanserunt. Lux autem facta, et insidias Christianorum timentes, donec Caloiero sua damna restituerent, a litore recedere non valuere. Coram ergo insulis dictis duae eriguntur civitates, *Mcdonum* prima, liquoris Bacchi abundantissima, et *Coronum* secunda, a liquore Deae Palladis coronata: quae ambae in provincia *Moreae* consistunt, et olim *Peloponnesus* dicta a Pelope rege, filio Tantali, ut ait *Barlaam*, homo bellorum et insignis plurimum. Qui, cum apud Phrygias regnaret, bellum habuit adversus Oenomium, regem Elidis atque Pisae, unde bellum ingens commovit atque Hippodamia potitus est. Tandem cum apud Argos regnasset a suo nomine Peloponnenses denominavit.

9.

Superfluum mihi videtur enarrare quot istis in partibus apparent scopuli, quia strenuum nullum invenimus in eis nominare factum. Ideo de eis taceamus, et ad *Chituriam* vel *Cythaream* insulam accedamus, quae *Citri* hodie nominatur, ubi prima insularum Archipelagi ad occiduum computatur. Quae quasi per totum in montibus insurgit, in quibus oppidum *Citeron* aperte videtur, ubi Venus honorifice celebrata est, ex quo et Venus et insula nomen sumpsit. Sculpebatur etenim puella pulcherrima, nuda et in mari natans, tenens concham marinam in dextra, ornata rosis et a columbis circumvolantibus comitata; Vulcano, deo ignis, rustico turpissimo, in coniugium assumpta. Ante eam tres stabant nudae iuvenculae, quae tres Gratiae vocabantur. Quarum duae facies ad eam conversae erant, una vero in contrarium vertebatur. Cui etiam Cupido, filius suus, alatus et caecus assistebat, qui sagitta et arcu Apollinem sagittabat: propter quod, Diis turbatus, ad matris gremium, puer timidus fugiebat. Iste planeta est foemineae complexionis, et ideo in specie puellae; calida et humida, et ideo Vulcano, i. e. igni dicitur maritata; et in mari immersa, quia coniuncta calori et humori; Cupidinem, Deum amoris, peperisse, i. e. carnis concupiscentiam, quia stella ista excitat concupiscentiam. Tres puellae, s. tres culpae: avaritia, ad lucrandum cum actu venereo; carnalitas, ad coniungendum actum carnalitatis; infidelitas, quia propter denarium diligere hominem demonstrant. — Alatus, quia cito accendit et coniungitur; caecus, quia non curat ubi diligit. — Igitur ex hac insula Paris, Priami filius,

He-

Helenam, Menelai uxorem, non invitam rapuit, quae ad diem festum, iuxta mare situm templum, hodie cognitum, venerat. Ubi, cum alter alterum respexisset, utriusque forma, operam dedit rapinae. Qui cum operam facto dedissent, maximum denique excidium consecutum est: a qua rapina omnes Graecorum principes in desolationem Troiae unanimes fecerunt coniurationes. Cumque illam frustra saepe repetissent, sub ducatu Agamemnonis, cum ingenti exercitu, post decennium Ilium ceperunt, et Menelao Helena restituta est, cum qua ipse, tempestate maris circumactus, primo in Aegyptum delatus est, inde in Lacedaemonia sunt reversi. Circuit ergo LX. m. In qua pauci habitant; et circumcirca scopuli videntur cum recentissima aqua scopulorum *Draconariae* dictae.

10.

Breve dehinc spatium usque *Sichilum* enumerare possumus, et X. mi. cir. In qua oppidum olim erat, nunc vero, cum ab agrestibus sit possessa asinis, nemo hominum in ea habitat. Itaque, si supra corium asini agresti dormies, daemones non timebis, epilenticum curabit; si de corio frontis super se tenebit, vel de ungula arsa bibet, vel annulum portabit; etiam fumigatione de ea facta parturientem liberat; si de rasura petrae capitis vel maxillae febricitanti ad bibendum praebebis, liber erit; si de sanguine auriculae bibes vel unguentum facies, cum succo serpentariae et oleo rosae, et unge renes ante accessionem quartanae, sanus remanebis. Solventur membra contracta sicci humoris, si cum brodio earum

carnium abluentur, et foeminae cum brodio asinae et cum adipe ungantur. Etiam in cicatricibus valet, et medulla ossium in nervis. — Semel Turci huc venientes, navis naufragium pertulit. Hoc audientes Cretici cito ad inferos eis viam paravere. Etiam navis in tempestate noctis in hanc ruit insulam, in qua nautae octava die una in tabulis, iam ab eis congestis natantes, contra Chituriam perierunt, nisi unus illorum, qui, remanens in scopulo et pastus radicibus arborumque herbarum circa annum, transeuntibus recollectus, incolumis evasit.

11.

Omnia quamvis, quae hic narranda erunt, in libro, quem de *Creta* composui, sint prolixiora, hic propter legentium commodum succincte in tribus partibus insulam clare dividam. Quae est in medio medii terranei maris posita, fereque ab omnibus partibus montium circumdata et undique a ventis agitata. De oriente ad occiduum CC. et XXX. mi. et in latitudine XXXV. distare videtur. Ad orientem *Salmon* mons, qui ad insulam *Carpanti* prospectat. Ad occiduum mons *Corycis* elevatur qui ad *Maleum* respicit promontorium. Fuit autem a filio Nebrot, *Creto, Creta* dicta, vel quia terra haec admodum terrae tenacis et albae nomen accepit. Habuit enim centum civitates, quarum vestigia ad sexagesimum accessi numerum. In qua Saturnus, sagax et potens, ut dixit, filius Urani, i. e Coeli, et Vestae, i. e. Terrae, erat et ad Dei similitudinem se fecit orare. Ipse enim prius aera signavit et nomen ipsius apposuit; ignaros arva colere docuit, et semina agris imponere

atque colligere ordinavit; ad sui laudem aram condidit et sacra instituit, quae Saturnia appellavit. Vestam, uxorem suam, sacro copulavit connubio, et ex ea plures susceptos filios scripsere, quos aiunt omnes devorasse, ne eum de regno expellerent, ut invenerat, et Iovem, servatum uxoris fraude, clam in Idaeum montem nutriendum misit, et Curetis populis commendatus et in antrum montis Idae delatus; ut ad vagitum ne audiretur, cymbala et tympana pulsabant, et ad sonum apes mella in os eius inferebant, i. e. nutrices de lacte et melle eum nutriebant. Hic tandem, cum adolevisset, bellum habuit cum Titanis. Inde patrem regno expulit, quia severus, et carnem humanam docuit immolare ac etiam filios proprios. Iupiter igitur, ex fuga patris dominus Cretensium factus, sororem suam Iunonem in coniugem accepit, et gloriae avidus, in multis locis ad sui nomen templa construxere. Licet plures fuerint Iupitres, tamen iste Cretensis maior omnium fuit, qui multa bona et utilia humanae vitae adinvenit. Mortuo vero, corpus iuxta oppidum *Arilatiae* posuere, quamvis dicatur in coelum esse deificatum. Ibi ergo, prope montem hodie de suo nomine dictum, in radicibus ad trionem, *Ptolomaeo* demonstrante viam, antrum manufactumque albatum, parvo ore, XL. in longitudine et IV. in latitudine brachiorum reperimus, cuius in capite sepulchrum Iovis maximi, suo epithaphio deleto, cognovimus, extra vero, in superficie speluncae, aedificia maxima ampliabantur ad modum templi. Cum itaque versus australem plagam vergimus, prope mare ad orientem *Hierapolis* cum ingentibus marmorum aedificiis est. *Matalia* cum mosaicis aedificiis finitis, nobilissima ruinarum. Quo in templo graecis litteris sculpebantur:

Munda pedemque vela caput et intra. *Chisamospolis* magnifica erat, ubi promontorium *Cadistum* hodie *Spatam* appropinquatur. Deinde Cydonia quae hodie *Achanea* amoenissima habetur. In qua Metellus, contra Cretam veniens, primo in duobus annis ignique ferro insulam totam posuit, et vindictam fecit de Marco Antonio, quem, conflictum in mari a Creticis, Romae deportavit, ut ait *Titus Livius*. — Ad *Retinnam* venio, deinde ad *Candacum*, quae hodie *Candia* et metropolis, postquam Veneti eam emere et denuo hanc aedificavere. Ad *Chersonesum* devenio olim alta moeniorum. Deinde ad *Holopixopolim*, hodie *Istrinam* concurro. In qua fons octo molendinorum aperitur et, iuxta sequendo mare, oppida in summitatibus montium alia aperiuntur; quorum in medio *Sarandopolis* civitas olim Gigantum erat, a qua *Sectia* derivata est. In fine vero insulae ad orientem *Salmon* mons propalatur omnium altissimus vicinorum. Regredior ergo ad occiduum, postquam a Salmone monte recedimus, et, per medium insulae vergens, ad *Dicteum* properamus montem. Et in summitate huius *Lassiti* campus XVIII. in cir. mi., in pascuis fertilissimus habetur. Ad austrum autem ampla elongatur planities *Messarea* dicta, in qua circa medium non parva vestigia amplissimae urbis *Gortynae*, olim metropolis apparent. Quae Minois regis principalior exstiterat, et quantum nostra Florentia in ambitu manifestatur cum arce magnifica et conductu aquarum descendentium, quae totam deinde irrigabant urbem. In qua duo ad plus millia columnarum, marmorum et idolorum prostrata enumeravi. Ad trionem autem in monte per milliare ore strenuo *Labyrinthus*, ut aiunt, reperitur, in quo Minotaurus

a Daedalo collocatus et per Theseum, fraude Phaedrae sororis suae, in eodem loco interemptus occubuit. Ad occiduum ad X. mi. mons famosissimus et altissimus apparet *Ida*, cuius in radicibus *Gnosia* civitas olim videtur. In quinque ergo collibus sine arboribus mons erigitur iste, quorum in medio pars sublimior est, ubi Saturnus, ut dicitur, templum ad sui laudem stabilivit et ibidem carnem primo sacrificare ordinavit. Sunt enim de medio usque summum per totum annum nives, et de Gnosia usque *Apteriapolim* XL. mi. et in altitudine XX. Quo in spatio multa essent enarranda ab auctoritatibus multorum auctorum. Ad occiduum vero inter umbrosas valles de XII. domibus Romanorum, Constantini tempore, huc venerunt habitatum, et, de gente in gentem diu renovati, arma et cognomen antiquae cognationis usque in hodiernum diem tenuere et ad graecum devenerunt ritum. Et primo *Gortati*, latine *Saturi*, quingenti in numero; *Mellisini Vespasiani* trecenti; *Ligni scutiles* mille sexcenti; *Vlasti Papiniani* ducenti; *Cladi Ramuli* centum octuaginta; *Scordili Aglati* octingenti, *Colonni Colonenses* triginta; *Arculeades Ursini* centum remansere. — Versus denique angulum huius insulae *Leucus* elevatur mons, a quo flumina hinc inde descendunt plura, et in umbrosis ipsorum vallibus tot et tanti cupressi pullulantur et crescunt, quod mirabile foret ad narrandum, et ex eis per universum tabulis mittuntur in anno.

Virgilius:

„Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae;
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna."

12.

Narravi de Creta. Nunc ad insulam *Carpanti* venio. *Carpos* enim graece, latine *fructus;* et *Pallene* dicta a filio Titani ibi dominante. Ab hac igitur Pallas nomen sortita est, quia in ea fuit nutrita, cum prius vocaretur Minerva, dea sapientiae et de cerebro Iovis nata, quae in similitudine unius dominae armatae erat sculpta: caput circumcinctum hydrae, et cassis cum crista; lancea in dextera, et in sinistra scutum cristallinum cum monstro Gorgone, vestes triplici colore. Iuxta se oliva cum noctua desuper. Igitur erat armata, quia sapiens est armatus virtutum. Scutum fortitudinis, lancea rectitudinis et iustitiae, galea sobrietatis et temperantiae, iris claritatis et prudentiae, oliva pietatis et misericordiae, noctua humilitatis et occultantiae. Triplicem vestem, tres virtutes theologicas; cristallinum, splendorem veritatis; imago terribilis, timor divinus; Gorgona imago mortis vel diaboli; crista honoris. — Fuit etenim haec patria Iapeti, qui duos habuit filios, Epimetheum et Prometheum, maximi ingenii et vehementis studii, qui de limo terrae hominis formasse simulacrum dicitur. Quo dilecta Minerva Prometheum duxit in coelum, ut, si quid de coelestibus vellet ad sui operis perfectionem, posset eligere. Qui de curru solis unum ex radiis furatus, intra eius pectus animavit simulacrum. Unde a Iove fulminatus et in Caucaso monte ligatus, iecur vulturi praebuit perenniter corrodendum. In monte vero Caucaso Prometheus, studens naturam hominis, a principio terream esse consideravit; veniens ad aliam naturam, comprehendit animam ex coelo procedere, cui vigorem et coelestis origo furasse radium solis,

i. e. sua consolatione ad coelestia dirigens. Quod vultur seu aquila iecur corrodat, nihil aliud est quam, viri studentes exteriora inficiunt et interiora consumunt. —

Fuerunt ergo hic oppida septem, quorum tria hodie inter montes habentur. Quae circuit LXX. mi. Et ad orientem *Olympos* civitas exstat cum portu *Tristomos*que scopulo *Sario*. Ad occiduum in portu *Theatros* duo erant oppida in *acrotiri*, i. e. *punta*, videlicet *Thuetho* et *Archassas*, ubi nunc *Sanctus Theodorus* denominatur. Et in conspectu *Casso* insula est, *Venetes*que *Corachi* oppidum prope montem *Gomali* apparent in alto. Et ad trionem vero iuxta mare olim *Fianti* civitas ampliata erat, ubi non longe, quasi in medio insulae, mons *Anachimara* et *Oros* et *Sancti Eliae* manifestantur ubique. Ad trionem vero planus exstat, cuius in capite portus *Agatha* ampliatur; per totam denique tanquam bruti habentur, qui, laborantes in pice, cum lacte sustentantur. Unde semel infideles in eam venientes, et clam in nocte per insulam lucratum dum irent, Carpathi ergo vigilantes, super eos viriliter biremem incendere. Illi vero redeuntes contristati nimis, dimissa praeda, in montibus plusquam centum fame periere.

13.

Devenio igitur ad antiquissimam *Rhodianam* civitatem, quae receptaculum dominorum minoris Asiae et olim Graeciae, quae nunc Turchia, fuit, et mercatorumque peregrinorum, ex omnibus mundi partibus huc venientium. Dicitur ergo *rodo* graece,

rosa latine; quia hic in perfectione, magis quam in aliis partibus, rosae habentur. Vel dicitur *Rhodi* a *malo punico*, quia plena hominum olim ita erat, et ad modum scuti ampliabatur a Sancto *Stephano* usque ad Sanctum *Iohannem Leprosorum* et Sanctum *Antonium* et Sanctum *Callinicum*, et, ad primum redeundo sanctum, cincumdabat. Quo in circuitu turres ducentae erant, ut in chronica habetur, quarum quaelibet cubitorum quinquaginta erigebatur. Quarum in medium *Colossum*, idolum mirae magnitudinis, cubitorum LXXta supereminebat, ubi velum a longe LXXX. mi. manifestabat, et cacumina totius civitatis ad imum submittebat. Quae, potentissima nimis, multis annis cum Aegyptiis proelium paravit; tandem ab eis desolata remansit. Sed aliqui vero volunt, quod propter crebra terraemota Colossum atque turres, magna hominum caede, funditus periere. Quorum eversionis opiniones multae atque diversae praedicantur. Ideo nihil audeo et rem tam antiquam ignorare me, mihi conscius, affirmare. Scimus tamen tot esse sententias quot capita, et quasi omnes homines voluntate potius quam ratione ferre iudicium. Reperi equidem in quodam graeco volumine, Colossum idolum aeneum, altitudine cubitorum ut supra, quod in medio pectoris speculum amplissimum lustrabatur, ut, ipsum respicientes, naves ab Aegyptiis egredientes viderent. Hic igitur, et per insulam totam plusquam mille Colossi supra columnas eminebant. Insuper et innumerabilium opus columnarum insignitum capitibus *Cerbiae* et, per omnes partes, hinc inde Caesaris signo reperimus, una cum urceis cadaverum combustorum infinitis, quorum vestigia usque in hodiernum diem perhibent testimonium. Nunc etiam de novo, prope

Sanctum Antoniumque Salvatorem in vinea quadam quingenta idola omnium manerierum in fovea reperta sunt. Nunc vero ad comparationem antiquae civitatis modica est. Quae ad orientem prospectat et in IV. divisa remanet: quarum in prima magister hospitalis Sancti Iohannis residet; secunda a fratribus dicti ordinis possessa est; tertia hospitale ipsorum visitatur; quarta et ultima a mercatoribus una cum Graecis habitata est. Quae a Colosso Colossensis scribitur ubique. Est enim amoenissima omnium insularum maris mediterranei et CLIIII. mi. cir. Quae iuxta mare a parte ponentis de punta trionis usque ad austrum plana habetur, cum oppidisque ruribus ibi apparentibus multis. Quorum una olim erat civitas *Vasilica* dicta, quae latine *imperatrix* manifestatur, et ad nihilum redacta. Ad austrum vero prosternata oppida diu et rura plura videntur, ubi *Polachia, Cattania et Aganea* eminent, fulcita rusticorum et cultivata satis cum armentorum multitudine. Ad orientem vero prope salo murus immanium lapidum quadratarum per montesque valles, ut aiunt, inceptabat et insulam dividebat, et sic indicat duorum dominorum fuisse dominium. *Lindum* denique munitissimum videmus, in quo sacra Herculi fuisse instituta, caeterorum ritu diversa, quia carnem Diis sacrificabant. Cumque non pauca sed magnaque magnifica per circuitum desolata videmus lineamenta, *Faradum, Fandum* oppida petimus, cum *Archangelo* rure. Deinde *Rhodum* appropinquamus, ubi tanta est viriditas arborum atque amoenitas locorum, quod est mirabile ad videndum, et praesertim Paradisum a Florentinis factum. In medio denique insulae *Artamita* mons cum flumine *Gadora* patescunt. Et a laeva rus Virginis Matris *Ma-*

riae Apollona habetur miraculis multis. Ad quintum milliare prope civitatem in monte *Filermus* est oppidum et Domina omnium gratiarum saepe visitata adoratur a multis. Abhinc igitur leges navalium habuisse videntur originem. Et natus *Apollonius* qui de octo partibus orationis in graeco laute tractans. Ab eo *Priscianus* extraxit multa et sibi adaptavit. *Tullius* denique, perveniens in hanc urbem, eloquentissimos Graecorum philosophos reperit, et coram eis atque populo orationem praeclaram recitavit, quamobrem a Rhodianis laudabilemque magnam acquisivit laudem. *Paulus* etiam Apostolus ad *Colossenses* epistolam mittit, in Asia minore positus; et nunc a Colosso Rhodiani Colossenses scribuntur ubique. Quibus, quotumcunque pluviae sint, semel in die sol apparet, et iam octo anniorum experientiam una cum *Varro* comprobavi.

14.

Erat Saturni tempore haec insulà *Simie* dicta a Simene ibi dominante, vel a *Simane* graece, latine *propinqua,* quia iuxta minorem Asiam appropinquat, et, commercium cum vicinis habens, vitam cum labore trahebant. Sed postquam a Iove maximo Prometheus, Iapeti filius, in hanc insulam vi missus, multa habitantibus demonstravit ad vitam conservandam humanam. Qui, valens in ingenio hominem ex luto finxit. Quamobrem, audiens Iupiter in Simiam constituit, et ibi vitam finivit. Colentes itaque hanc hodie astuti nimis, suis cymbis inter civitates TurcorumqueRhodiorum victum studiose frequentant. Ad meridiem denique scopuli adhaerent,

quibus crebro naves vela deponunt. Castellum igitur, prope mare, munitissimum est, et in montibus aliud desolatum. Quae XXX. cir. mi., vino optimo; inter saxa aegae ab alto caprizant.

15.

Longe non nimis a supra dicta *Caristos* olim, nunc *Calchis* videtur insula. In qua Titani regnavere et incolas Briareo filio instituisse divina; et pauci omnibus incoluere temporibus, quia arida nimis et infructuosa remanet, ideo mortales aedificia ponere non curavere. In ea igitur ficus habentur, quorum tanta redundat copia, quod naves circumnavigantes loca foecundant. Ad orientem vero portus ampliatur, cuius in summitate oppidum vetustumque minutum valde videtur, ubi Nicolaus sanctus, ex itinere fatigatus, resedit, gentibusque illis viam rectitudinis demonstravit; quorum precibus adeo gratiam consecutus est, quod secures et ad fodiendum ferramenta continue laborando in istis aridisque lapidosis montibus non minuerentur; a quo tempore usque in hodiernum illaesa servantur, quae ad dotes filiabus computant cariores. Eapropter ecclesiam ad laudem ipsius ditissimam aurique argenti constituere, quam corde et animo gubernare laborant.

16.

Monstravimus de Calchi. Ad *Dilufanos* olim, hodie *Piscopia* transitum praeparabo. *Dilufanos* enim graece, latine *omnibus apparentibus* interpretatur. *Piscopia* graece ab *epi*, quod est *supra*, et *scopos*,

speculator; quasi *supraspeculatrix*, quia in montibus valde elevata est et a longe cernitur nimis. De oriente ad occiduum elongatur et XXXV. cir. mi. Ad orientem frondifluus elevatur mons, cuius in radicibus duo exstant scopuli, quorum unus *Aschina* appellatur. Ad trionem vero oppidum Sancti *Stephani* video, in quo portus et planus manifestatur. Ad occiduum *Zuccalora* erigitur egestate plenus. In medio quoque duo alia oppida male habitantur, quibus potius aeghae vagantur quam homines loca valeant custodire.

17.

Ostendi situm Piscopiae. Nunc ad *Cariam* olim, hodie *Nisaros* indicare valeam uno cum suo aetnaeo monte. *Caridi* graece, *nux* latine; *Nisos* graece, *insula* latine interpretatur. Hic *Flaminius*, consul, rediens de partibus Orientis et accedens pugnaturus contra Gallos, auguratus est victoriam obtinere, et sic factum in luce resolvit. Itaque insula haec semper benevola Romanis habita est. Per hanc etiam transiens Cleopatra cum Antonio, et nolentes cives praeceptis ipsorum obedire, totam insulam delevere. Et XVIII. cir. mi. et quinque videntur oppida, quorum duo principaliora apparent, *Mandrachi* et *Palaeocastro*, et *Pandenichi*, *Nicea* et *Argos* sunt in circuitu. Circa medium mons erigitur altissimus, quo in summitate per subterraneos meatus sulphureus ignis die ac nocte eructat in altum, ut in insula *Stronguli* apud *Liparum* habetur. In descensu vero montis, ad iactum lapidis, fons calidissimus emanat in imum, et in plano circa lacum profundis-

simumque obscurum aquae descendunt; ibique colentes quantitatem maximam sulphuris mercatoribus praeparant. Et quia in tantum viget intensitas caloris, de medio usque verticem nullus est ausus sine sotularibus accedere ligneis. Est etenim hic tanta foecunditas ficuum, quod in anno naves onerantur parvae. Ad trionem in pede montis, contigua maris, spelunca consistit, ad quam circumstantes, doloribus oppressi, accedunt, et, diu morati, in patriam incolumes revertuntur. Et quia concava, ut praesumitur, haec insula habetur, saepe saepius tot et tanta terraemota ubique regnant, quod forenses, ob hoc perterriti, locum, cito maledicentes, derelinquunt, et procul accedere gaudent. Colentes vero tale sterminium pro nihilo reputant, et in eo non advertere curant.

18.

Nunc ad *Astimphaleam* olim, hodie *Stampaleam* meum praeparabo cursum. Et, ut ait *Plinius*, Astimphalea, rectae vel liberae civitatis, circuitu octuaginta novem millia passuum. Et insuper *Ovidius:*

„*Hinc Anaphem sibi iungit et Astimphalea regna*
Promissis Anaphem, regna et Stimphalea bella.“
„*Cinctaque piscosis Astimphalea vadis.*“

In medio autem et tenuissima est et in extremis ampla; in quibus plurima castella desolata videntur, Ad trionem *Vathi* oppidum. Ad meridiemque occiduum civitas apparet *Stampalea* dicta. Sunt etenim per insulam antiquitates aliquorum oppidorum, et hinc inde per circuitum porti optimi concluduntur,

et desolati iam diu a piratis, sine apparatu, usque in hodiernum panduntur ubique. Tempore ergo *Morbasani* Turci, perventa magna classe, istas insulas in totum delevere piratae. Solus ille nobilis Venetus *Iohannes Quirinus* suis viribus eam incepit, tempore Concilii Constantiae, restaurare.

19.

Testantur veteres et maxime *Plinius* quod haec insula *Aegasa* dicebatur; deinde *Filetera*, a Filete, ibi dominante; postea *Calista*, a bonitate humoris terrae; denique *Therasia*, antequam emersisset, dicebatur. Sed postquam circa medium emersit etiam, elapsis temporibus usque in hodiernum *Santellini* nominavere. Quae fertilis et populata nimis existimabatur, et propter vulcani combustionem medietas in profundum maris est submersa, cuius particulam ad modum lunae exustam videmus, et *Therasia* hodie nuncupatur, et sic inter unamque aliam partem magnum chaos remansit aquarum. In quo tanta profunditas demonstratur, quod nullo modo illustris dux *Iacobus* harum insularum in mille passibus fundum attingere potuit, et funem nimis ponderantem totaliter in profundum dimersere. Quae cir. XL. mi. et ad modum lunae cornutae distenditur, ubi a parte ponentis iuxta mare magnifica ampliabatur civitas. Coloni vero, dimissa ruina, in monte superbo oppidum aedificavere munitum. Cumque ibi cum quadam nave Ianuensium *Phulpum* LX. cubitorum in circuitu videremus et sua ampliantem brachia et iter ad nos appetentem, cito sic cernentes, navem reliquimus omnes, et perterriti prope ripas speculamur

ab alto, donec cito velum vento praebemus cum salute. Quinque etenim galeae Venetorum meis itaque diebus, de *Baruto* revertentes, in loco sunt submersae isto, quarum quidem naufragium omnes evasere homines. Reperi etiam, ut ait *T. Livius*, quod ad hanc insulam oppugnandam trium iunctarum classium naves, Romanorum, Rhodiorum et Attali regis, pervenere, omnisque generis tormentis et machinis onustae, et urbis excidia praebebant. Sed, postquam multis oppressionibus et machinationibus oppressi, a Romanis civitas in ruinam et depraedationem posita est.

20.

Dum sic cernimus, versus *Sicandrum* iter arripimus. Et dicitur *Sicandros* a multitudine ficuum ibi fructificantium olim. *Sica* etenim graece, latine *ficus* interpretatur. Quae, montuosa nimis, a vetusto tempore usque nunc inculta remansit, tum propter Turcorum et piratarum insidias, tum propter ignaviam rusticorum coadhaerentium et porti minuitatem. In qua aselli, forte per insulam relicti, usque nunc errantes per asperas ripas, magno hinc inde capiuntur labore. Volunt igitur quod in hoc loco *Meleus* quidam, vir strenuus, tempore Troianorum, ad excidium Graecorum duabus accessit navibus. Qui, adhaerens insulae Deli, a longe oraculum adoravit, et, persequens suum iter, tempestate facta, necatus est, et sic viduatae mulieres; extunc oppidum in exterminium declinavit. Quae, cum in longissima perseveraret aetate, in solitudine paucorum, castellumque rura, et in fine devenere ad nihilum.

21.

Est sequens insula *Policandros* dicta ab herba sic nominata a morbo caduco optima, vel dicitur a *poli, civitas* et *andros, homines*, i.e. *civitas hominum* vel *virorum*. Constat igitur a nomine, eam habitatam fuisse, cum tam seculis multis a domibusque moeniis fuit ad nihilum reducta. Quae XX. cir. mi. modicis arboribusque virentibus herbis. Evenit autem, quod, dum quidem emerita, diu hic Deo serviens et in angusta spelunca sedens, infideles eam igne suffocaverunt. Cumque recessum capere vellent, vox audita est, dicens: Hominem innocentem et mihi propitium necavistis; ibitis non, et impune transire non licet. Cumque hoc explicaret, ensis inter culpabiles ruit et sternit improbos, residuum vero ad patriam redire dimisit. Qui, devote miraculum narrantes, ad fidem Christi devenere.

22.

Ferunt quod haec insula *Polimio* nunquam fuit habitata; verum cum sit in aliquo nemorosa loco et formae casarum patefactae, homines habitasse in ea manifestatur. Sed quid in eo loco vetustum fuerat ab hominibus hoc tempore ignoratur. Verum quod una biremis Turcorum, dum hanc appeteret, et ad capiendum aeghas accederent, Aeolus, Boream emissus ab antro, cito ratem in saxa latentia torquet, et in imum, miserabile visu, demissa est. Cumque hoc socii perciperent et in longam exclamationem erumperent, in viginti dierum spatio omnes animam Ma-

hu-

humeto tradidere. Circuit mi. XVIII; in qua falcones quolibet anno pullos nutriunt suos.

23.

Legimus equidem, mi Iordane pater, multis Graecorum annalibus nomen huius insulae discordare. Et primo *Aristotiles Mellidam* dicit; de quo nomine *Plinius,* ab abundantia mellis in montibus cavernosis, concordat. *Georgias Zephyram* a vento illo qui in eodem regnat loco. *Callimachus Numalida* a domina sic dicta. *Heraclides Simphim* a *sibilo,* quia aquae descendentes et cadentes tanquam sibilum sonitum emittant. Hodie vero *Mylos,* quod latine *molendinum* sonat, quia per omnes contratas illas lapides molendini inveniuntur, et fere in aliis, et ideo *Milos* merito dicta. Quae in Aegaeo terminatur et contra *Maleum* promontorium elevatur altissima. Sardus hic invenitur lapis saepe, qui desubter niger, in medio candidus, et desuper rubeus manifestatur, et castum furentem reddit. Hic rex Athenarum *Ministheus,* Demofontis frater et Thesei filius, de bello Troiano revertens, applicuit, marisque procellis et nausea lacessitus, occubuit, cui, usque in hodiernum diem honorabile sepulchrum, epitaphio sculpto, condiderunt. Circuit enim mi. LXXX. Cuius in medio ad trionem portus nobilissimus aperitur aquarum medicinalium sulphuris existentium in circuitu. In quo turris et planus apparet domibus aliquibus. Ab ea vero parte quae est inter orientem trionemque civitas elevatur munitissima. In qua evenit, mancipii, capto tempore, pòstquam cives hinc inde in laboribus, accedentes, castellum dictae invaserunt et de-

minam loci occiderunt. Hoc autem cum perciperent circumstantes, armisque viribus totis, elapsis diebus, inexpugnabile vicerunt castrum, et mancipia ad tartara descendere. — Cybeles etenim, ut reperi, adorabatur; quae sculpta in curru, pretiosis lapidibus ornata, cum corona turrium, et sequentes galli, et leones currum trahebant; quae claves in manu gestabat. Igitur Cybeles terra dicitur; in curru, quia terra in aëre pendet; in rotis, quia mundus rotatur et volubilis est; leonibus, ut ostendatur materna pietas. Omnis enim feritas maternae subiicitur affectioni. Lapidibus pretiosis vestita, quia terra est mater omnium lapidumque metallorum; galli, quia eius sacerdotes castrati erant, qui et Corybantes dicebantur; turribus coronata, quia in terra sunt civitates et castra; claves, quia verno tempore terra aperitur et hieme clauditur. — Ad occiduum oppidum erat *Pollona*, quo coram scopulique insulae incultae apparent multae et hinc inde sparsae per totum.

24.

Ostendi de Milo. Nunc ad insulam *Siphani* transeamus. *Sifanos* graece, *Surbo* latine. Cumque per eam accesseris, montes et aridam calcabis viam; et, comitata ab aeghis, XL. cir. mi. Ad orientem vero in monte prope *Serraglam* civitas est de nomine insulae dicta. Ad occiduum vero *Schinosi* locus aperitur et sinus, et ad meridiem portus concluditur olim cum urbe diruta, quae nunc *Plati-ialo* nominatur, et in conspectu scopulum *Chitriani* dictum videmus. In medio vero turris erigitur *Exambeles* dicta, a qua fons emanat usque mare, in quo ortus

omnium virescit pomorum. — *Pan* etiam his Deus naturae colebatur et in sublimiori loco statua deleta demonstratur. Sed postquam Paulus et reliqui Apostolorum verbum divinum per has praedicavere contratas, omnia idola ruere. Igitur Pan cornutus et rubicundus superiorem partem mundi indicat, ignem; et aetherem cum radiis denotamus; pectus stellatus, stellae coeli; septem calami in ore, septem planetae; femora, arbores et herbae; per pedes caprinos animalia denotabantur. — Habitant denique hic pauci et miserabiles, quorum numerus pars maxima sunt mulieres, quae, per defectum virorum, usque ad senium vitam vi castam deducunt, et quamvis linguam ignorent latinam, tamen catholicam fidem non amittunt.

25.

Resumo *Serfinum*, quae, in montibus tota, XL. cir. mi. Et dicitur a *Serfi* graece, *herba* latine, quae ad dolorem renum salutifera hic invenitur; vel dicitur a *Serfino* conditore et de eo assumpsit nomen. Cumque ad meridiem vergis, portus coram scopulo quodam panditur ultro, et cito in altum, iuxta planum, oppidum elevatur, quod usque in hodiernum a *Serfino* conditore antiquum servat nomen. Ibique circum et per abrupta viarum aeghae innumerabiles vagari cernuntur; carnes quarum assatae a sole diu in cibum a colonis sumuntur laute. In qua Apollo colebatur in puerili forma et quidem in senili. In capite tripodam auream, in manu pharetram et sagittam cum arcu; in altera citharam tenebat. In pedibus monstrum serpentibus, tribus capitibus sc. canino, lupino et leonino. Iuxta erat laurus cum cor-

vo volitante. Apollo sol interpretatur, puer in mane, vir in meridie, senex in sero, quia pallet; arcus et sagittas, quia radios ad nos mittit; cithara, quia mollificat sonos totius coelestis melodiae; tripoda, quia tria beneficia, splendorem, calorem et interiorem vigorem, quae in cunctis viventibus operatur; monstrum trium capitum, tempus: canis blandientis, tempus futurum, quia semper per spem futurorum homini blanditur: lupus, tempus praeteritum, quod moris lupi capit et fugit: leo, tempus praesens, quod stat et fugere non dignatur; laurus, quia virga in aestate durat. — Nunc ergo, pater, quod sit in hac insula nisi calamitas, certum est, cum tempus et vitam tanquam ad brutalem persequuntur modum, et quod plus exstat, die ac nocte, tremore magno, ne in manibus perveniant infidelium, tremuli annos fatigant consumere suos.

26.

Est etiam post supradictam *Thermia* nuncupata, et dicitur a *thermo* graece, latine *tepidum*. Et montuosa valde et XL. cir. mi. Ad orientem vero Sancta *Helena* cernitur, ubi planus extat, quo in capite *Thermia* civitas erigitur, quam Turci iam, ibi mancipii, proditorie, in nocte, captis civibus, desolavere; sed nunc repopulata est. Ad occiduum autem est ecclesia Sancti *Lucae*, optimi porti; civitas olim erat aedificiis adornata. In monte vero, quasi in medio insulae, turris erigitur, a qua rivulus aquarum rigat usque salum domesticus, et ibi *Apocreos* planus noscitur. Et ad meridiem sinus et planus *Piscopiae* manifestatur, et planus *Merca* prope ter-

minatur. In vino vero, blado, sericoque carnibus bene habetur. In qua semel prope civitatem in portu Turci forte pernoctaverunt, et duae, in tempestate noctis eiusdem, galearum Cretensium adsunt. Quo mane facto Christiani, audacter irruentes in eos, ad inferos omnes mandavere.

27.

Nunc ad *Ceam* transeo; a *Ceo* titano et terrae filio nominata. Qui cum extraniae ferocitatis atque superbiae existeret, ipse cum fratribus suis una contra Iovem insurrexerunt. Cumque tempore multo proelium invicem extiterit, in fine a dicto Iove extra insulam Cretae sunt expulsi, et hinc inde facultatibus diminuti. Ea propter iste Ceus, maior suorum fratrum, ad hanc devenit insulam, in qua Latonam atque Asteram, virgines pulcherrimas genuit, de quibus multa dicenda omitto. Quae montuosa L. cir. mi. Ad occiduum portus extat, et inter ipsumque castellum planus habetur, in quo silvestria pervagantes; et oppidum *Iulidae* antiquum retinens olim erat ritum, ut qui senio confectus aut infirmatus, vitam veneno finiret; mors eius maximis laudibus extollebatur. Cumque Sextus Pompeius, Asiam petens, huc actus tempestatibus, applicaret, et audiret, matronam quandam aetate et virtutibus venerandam, ad eam accessit et diutius illam, ut venenum non acciperet, exorabat. Illa autem, lectulo cubans, agnatas circumhabens, sic verbis Pompeium alloquitur: Quintum et nonagesimum annum ago, et semper fortuna vultum mihi ostendit hilarem et gremium felicem mihi aperuit, et, ut saepe fit, flatu quodam subito mutatae

fortunae calamitosum vitae meae exitum posse faciliter experiri. Igitur cum laeta vita sit, hilarior mors erit. Et ab omnibus licentiam accipiens, Diisque invocatis, constanter venenum ebibit, et cito spiritus e carcere evolavit. — Hic etiam fons invenitur, cuius aquae potu faciunt homines hebetes sensu, et, postquam ad digestionem venerint, mens ad pristinam reducitur sanitatem. Et quia prope hanc, ad occiduum, versus *Tenaron*que *Pegasseum* sinum atque *Mirteum* mare, multi adiacent scopulique insulae incultae; ideoque nomina aliquarum hic ponam sine narratione aliqua. *Syra* vel *Sydra*, *Macroniso*, *Albera*, *Chitisos*, de qua Proculus poëta fuit, qui, cum Samiam adamaret graecam, multa carmina ad laudem sui nominis compilavit.

28.

Constat hanc insulam *Andros* multis nominibus pronuntiari, ut philosophi dicunt. Et primo *Mirtius Caurum*, *Callimachus Antandron*. Alii *Lagiam*, *Nonagriam*, *Idrussam* a fontibus multis, et *Plinius Pagrim* nominat. *Andros* autem dicta a filio *Annaei* regis. Quae nobilis et pulchra satis et aquarum copiosissima apparet, humana natura omnia producente; in montibus tota et LXXX. cir. mi.; et civitas ad orientem sine portu habitatur. Ad occiduum vero parva insula cum antiquo oppido appret, ad quam per pontem lapideum amplis aedificiis accedebant. In mare, prope litus, turris cernitur, in qua circumadstantes in nocte residebant, ut a piratis salvi fierent. Dicitur etenim filias Annaei regis aufugisse, de quibus per *Ovidium* sic fingitur: Bac-

chum eisdem proprietatem attribuisse, ut, quicquid tangerent, in segetem, vinum oleumque transformaretur. Quo per Agamemnonem cognito, coëgit eas, ut pascerent exercitum quem ad Troïam conducebat. Illae autem fugientes, frater in manibus Agamemnonis elegit eas tradere. Agamemnon dum vincula parabat, tollentes brachia, e coelo a Libero patre poposcerunt auxilium; in columbas versae sunt. Sed in rei veritate sic est, quod filiae Annaei regis in emendis agris magnam habuerunt solertiam, adeo ut magna copia ex omnibus abundabant; divites factae sunt. Quare comperta per Agamemnonem, in exercitu suo omnia abstulit eisdem, et sic de divitibus factae pauperes, ad quaestum, et, velut columbae luxuriosae, ad publicum lucrum vivendi Deae Veneris devenerunt. Quid igitur fuerit in hac insula actum vestigia manifestant, cum nil aliud invenitur nisi magna et magnifica sculpta per totum. — Insuper et Deum *Mercurium* fuisse videtur: alatus; virgam in manibus, circumseptam serpentibus; habens galerum in capite, et gallus coram eo; caput caninum. Alatus, quia stella Mercurii citissime facit cursum suum; somniferam virgam, quia propter dulcedinem verborum homo sopit; caninum caput, quia in eloquentia, latrando, i. e. eloquendo attrahit homines; in capite galerum cum gallo, quia mercator sollicitus est hinc inde cum mercantiis, et mutat propositum ad sui conformitatem. — Dehinc etiam ille Terentius, poëta comicus Carthaginensis, fabulam suam incipit, qui hominum scripsit mores iuvenumque senumque, et Andriam suam primam comoediam intitulavit. Qui Pamphiliam primo, deinde Glycerium dehinc recessisse ponit; denique Crito, homo senex, Athenas accedens, pacem et gaudium conclu-

sionis fabulae adaptavit. — Nunc tandem haec regio propter crebras Turcorum insidias ad infimum est redacta, quamvis, ad comparationem aliarum, haec melius habeatur.

29.

Inter Chiumque Andron scopulus eminens *Caloierus* dictus, rupibus rapacissimis, solus est. Unde *calos* graece, latine *bonus*, et *geros*, *senex*, i. e. *bonus senex*, inde Caloierus interpretatur per antiphrasin, quia valde malus et a navigantibus minacissimus omnibus reperitur temporibus. Igitur abhinc naves transeuntes saepe in nocte submerguntur in eo. In quo meis itaque diebus una Ianuensium navis, de Pera descendens, in hunc periit scopulum. Eapropter nautae transeuntes anathematizare saepe convalescunt, et, digito procul indicantes, cito velum vertunt in altum. Cumque semel Turcorum ratis ibi mergeretur, ad salutem in scopulis hominum eventum est. Tertia vero die Christianorum puppis coram affuit eis. Quae, misericordia mota super omnes, illos semivivos evasit in altum. Qui, post cibum convalescentes, in Christianos irruere, et, navigantes in patriam, Christianos, tantae evasionis causas, ad continuam posuere servitutem. Hic etenim falcones in anno pullos nutriunt infra immeabiles ripas.

30.

Aristoteles propter aquarum abundantiam *Hydrusam* hanc nominat, quod latine *aquatica* sonat. *De-*

mosthenes et *Aeschines Fiussam* dicunt; hodie vero *Tino* dicta est propter suam rotunditatem, ad modum tini derivata, et contigua Andro, XL. cir. mi., quo in spatio duo eriguntur scopuli. In qua olim mulier venefica quaedam, cum videret semel hostes appropinquantes ad urbem desolandam, in monte sublimiori ascensa est, et nuda, sparsis crinibus, ad coelum brachia extendens, nondum incantationem expleverat, quum Africus repentinus contra illos insurgens, classem in imum evertit, et sic per insulam pars illorum evasit maxima, quae, potita liquoribus incantationum et carminum, insensati remanserunt; quo in loco ad servitutem sunt redacti. Et cives effecti divites, tempore Alexandri claruere, postea a Romanis in exterminium devenerunt. Evenit etenim non diu, navem ab occidente, oneratam equorum, huc attigisse, magna maris tempestate, quae in ruinam omnium animantium eversa est, et per insulam' foetentes in numerum devenerunt maximum. — In qua, circa medium, castrum in monte cum plano habetur fertili. Ad orientem denique turris *Sti-Nicolai* in mari elevatur; et in monte ad occiduum altera erigitur munitissima. Ad trionem vero vallis amoena aperitur, et ad meridiem olim oppidum colebatur.

31.

Postquam dixi de Tino ad *Michonos* accedamus, olim a rege dicta, vel *micos* graece *longitudo* latine, vel *paululum,* quia in loco parvo habetur. Fuit olim igitur exsplendida nimis, ut per aedificia testatur, quia Delo propinqua, et peregrini, ut possent

pluries in anno idolum visitare, hic habitaculum appetebant. Cumque semel Turci per insulam ruerent, Caloierum, virum Dei adorantem, in quadam invenerunt spelunca, et dum strepitum faciunt, ut ipsum caperent, spelunca ruit in imum, in qua omnes nisi Caloierus perierunt. Haec etenim una ex Cycladibus dicta et in Aegaeo mari sita, XXX. cir. mi. Quae cum portu et molo antiquissimo; ad meridiem *Stephanus, Georgius, Iohannes*que sancti habentur; et Sancta *Anna* ad orientem manifestatur cum *Pandermo* portu. Quae arida tota cum aegis multis comprobatur.

Virgilius:

„Errantem Micoe celsa Giaroque revinxit.“

32.

*R*estat nunc insulam indicare *Deli,* de qua saepe inter auctores habetur mentio, et famosissima in medio Cycladum exsplendebat. Quam olim mobilem vetustas asserit; et multis in modis vocata fuit: *Delos, Asteria, Corana, Midia, Lagia, Cineto, Purpile,* et nunc *Sdiles* dicta est. De qua poëtae taliter finxere: Iovem Latonam, Cei titanis filiam, vitiasse, Iunonemque, cum ex eo gravidam cognovisset, ad eam persequendam *Fitonem* misisse. Quo persequente ipsa cunctis regionibus fugabatur. Tandem a sorore Asteria, iam in insulam transmutata, se litoribus applicans, edidit Apollinem et Dianam uno partu, qui statim occiso Fitone ultus est matris iniuriam. Asserunt matri parturienti Dianam et Apollinem praebuisse officium obstetricis. Unde er-

go Dianam virginem fingunt sub Lucinae nomine, eo quod luci reddat infantes, parturientibus invocari. Diana, omnium fere testimonio poëtarum, Iovis et Latonae fuit filia. Hanc veteres insignem virginitate perpetua voluere. Et quidem, spreto omnium consortio, venationibus operam dedit. Quaerebat in silvis cum luna in nocte feras, et cum suo frigore concupiscentias venereas expellebat. His igitur ab ea observatis, hanc veteres lunam esse credidere, et secum lunam iniunxere, atque circum circa arcum sagittasque a latere posuere, et nemorum Deam vocavere, et circum circa nymphas collocavere, tanquam ipsarum Deam, sc. Dryades, Oreades, Naides et Nereides, quae inter Graecos hodie venerantur, et affirmant quamlibet exercere officium suum. Luna ergo mater est humoris; habet in silvis, in montibus et in mari et in fontibus humorem multiplicare, et in agris herbas, et semina procreare. Haec enim Proserpina dicta est. Similiter et Apollo diversis nominibus, secundum diversas attributas potentias, nominatur quandoque Sol, Phoebus, Titan, et a loco, ut Delius. Duo igitur numina haec huic insulae tunc mobili, tunc erranti, Diana per noctem, i. e. luna prius nata est, et postea natus Apollo, i. e. dies, qui per solem illuminatur. *Delos* graece, *manifestum* latine, quia post diluvium apparuit in nocte vaporibus lunae aestuante. Postea in die sequenti, radiis solaribus eam monstrantibus, apparuit manifeste, et ideo *Delos*, i. e. manifestatio, cum primo *Ortygia* vocaretur a multitudine perdicum ibi coadunantium. *Ortyx* graece, latine *perdix*. *Cintius* mons ibi est; quia in eo loco Diana nata est et ideo aliquando Cinthia dicta erat. Postea dictus Apollo a filio Vulcani

et Minervae, qui primus fuit inventor medicinae. In pede etiam montis huius fons est qui crescit et decrescit eo tempore et hora Nili fluminis, quod mirum est. In hac itaque Apollo colebatur, in qua de longinquis partibus dona ad eius templum ferebantur una cum virginibus circumstantium regionum. Cumque enim Tarquinii, avunculi Bruti, Romae regnantis, filii ad hanc insulam Apollinis, de more sacrificaturi, muneribus perrexissent, ipsisque sacrificantibus, Brutus, qui cum eis more histrionis accesserat, iocabundus scipionem, quo aurum adscenderat, (palam enim venerari numen timebat,) ipsi Deo donasset, eis oraculum interrogantibus: quisnam post Tarquinium regnaturus esset Romae? respondit oraculum: Qui ex eis primum matrem oscularetur. Quo audito Brutus, quasi casu advolutus in terram, eam osculatus est. Unde postea Tarquinii filiorum expulsio et consulatus consecutus est et ostendit ipsum Brutum Apollinem de terra communi omnium matre intellexisse. Brutus nempe, fugato Tarquinio, primus consul factus est. Sunt autem insulae hae duae contiguae, quarum minor, Delus, est in circuitu IV. mi., altera X.; et de trione ad meridiem elongantur ambae. Igitur in Delo, prope olim templum vetustum, in plano, praeparatum columnarum idolum videmus, quod in tanta magnitudine iacet, quod nullo modo nos, qui mille fuimus, erigere potuimus argumentis rudentum galearum, sed ad suum pristinum dimisimus locum. Insuper hinc inde plus quam mille idolorum omnium magisterio laudabili videntur prosternata. — Altera denique humilibus montibus cultivata erat, et per eam habitationes infinitae parabantur, quarum portaeque fenestrae versus templum

prospectabant. Quorum in medio turris erigitur, in qua post desolationem templique caerimoniarum idolorum coloni recreabant.

Virgilius: ..

„Huc feror. Haec fessos tuto placidissimo portu
Accipit, et gressi veneramur Apollinis urbem,
Templa Dei saxo venerabar structa vetusto."

33.

Est ad occasum *Suda* hodie dicta XL. mi. in circuitu. Quae olim *Iaro* vel *Geros,* latine *senex,* vel *sanus* interpretatur. In hoc itaque scopulo dux quidam Calaber *Sidim* dictus pervenit, dum de magna Graecia et civitate *Scyllacea* recedebat, qui a manibus suorum aufugerat inimicorum; et peractus nimia tempestate, iam fessi nautae, propter obitum eo tempore regis insulae huius, *Sidim* in coniugem reginam accepit, postquam funus sui viri laute eo in loco finierat. Igitur cum iam diu sine prole regnaret, filiam procreavit, quam *Sudam* denominavit, a qua insula nomen accepit. Nunc vero ad comparationem praeteritorum temporum nihil reputatur, quia ordeaceo pane cum carrubis et aegharum carnibus vescuntur, maximo piratarum timore. Ergo eorum vita in anxietate ponitur, quamvis propter prolem et affinitatem et intrinsecum amorem patriae contentantur in loco. Est etenim, ut videtur, ad trionem *Capraria* scopulus, in quo, ut aiunt, spiritus pervagantur immundi, et, dum naves prope transeunt, vel in nocte, casu morantur, tantus strepitus et rugitus vocum erigitur, quod coelumque terra ruere videtur, et vo-

cantes nomina illorum venientium altis vocibus convalescunt.

Virgilius:

„Errantem Micoe celsa Giaroque revinxit."

34.

Sequitur **Paros,** albissima insula valde et ex Cycladibus una, quae olim **Platea** ab **amplitudine** dicta, deinde **Minoa** a civitate regis Minois aedificata multorum aedificiorum. Sed **Pareante**, Pluti filius, quem ibidem et oppidum construxisse aiunt, insulam et oppidum **Paron** a suo nomine nominavit. Et gignit adeo marmor candidissimum, ut a longe videntes nivem esse dicant, et maxime **Carpesus,** mons sublimior aliis, cum scaturiginibus aquarum et fluminum exundatione. Quae LII. cir. mi. Ad occiduum **Minoa** urbs erat, coram Delphica insula, in qua columnarum aedificia superant prata cum templo marmareo immaculato. Insuper ad radices eiusdem montis oppidum vetustissimum erigitur immanium structum lapidum. Ad trionem vero, paucis civibus, **Paron** castrum habetur cum molo atque parvo portu. Quo in loco fons est, in quo si album lineum vel corium posueris, niger remanebit; et ex eo molendina triturant. Coram autem Naxos **Cephalo** oppidum in monte habetur, cuius ascensu tanta est facultas, quod coelum tangere videtur. In quo quidem ex laborioso itinere macilentae nimis et rugosae anus usque verticem convalescentes sarcinam sine sudore conducunt, et ultra quinquagesimum annum prolem concipiunt vitalem. Ad orientem portus piratarum videtur, et ibi campus per totum extenditur.

maximus. Sunt denique haec et aliae circumstantes insulae a Turcis oppressae nimis et in desolationem saepe redactae, et ibi habitatores continuum timorem tenent ne in servitutem redigantur.

35.

Breve spatium abhinc *Antiparos* est, et quamvis inhabitabilis sit, ab aquilisque falconibus non est derelicta. Quisve poterit quot foleae per scopulum parantur in anno, cum lapides eo tempore non videantur, tanta est congeries aviumque folearum et praesertim aquilarum, quae, dum in loco praedam conducit, nisi magna fame arceatur, sola praedam non manducat. Duos lapides pretiosos masculinumque femininum in nido suo colligit et reponit, sine quibus, ut ait Plinius, parere nequit. Et Achates ad custodiendum pullos suos a veneno et reptilium morsu reponit, sed, postquam a nido eos expulit, praedari instruit. Quos cum viderit iam praedam capere, in altum volans, ab eorum tutela se subtrahit, et hiemali tempore aviculam modicam capit, quam inter pedes de nocte tenens propter calefactionem, stringendo non perimit, sed orto sole illaesam abire permittit.

36.

Inveni equidem ultimam ante dictam insulam *Panayam*, quasi ex eadem asperitate et parvae habitudinis; a *pan* graece, totum latine, et *ya*, *sanitas*, quasi *tota sanitas*. Erat autem in ea ecclesia sola nimis, in qua, ut imaginatur, aliquis eremita reside-

bat et pro suis necessariis ad insulam Paros cymba sua navigabat. Nunc certe magna multitudo avium omnibus habitat temporibus et per saxa nuda diebusque noctibus transeunt ululando.

37.

Tuta inter Cycladarum insulas *Naxos* habetur cum LXXX. mi. cir. *Plinius* igitur primus *Strongylen* graece, latine *rotundam* eam vocat; *Ovidius Dionysiam* a fertilitate vinearum; alii *Siciliam minorem* ex abundantia rerum frugumque. Quae est principalior insularum istarum. In qua petra nigerrima et durissima dicta *Smeriglo* reperitur. Coram itaque civitate, in scopulo, fuit olim oppidum *Strongyle* dictum, a quo seculis multis insula sumpsit nomen. Quo coram campus iuxta mare vinearum ampliatur magnus. Ideo Baccho dedicata fuit, qui sculptus prope oppidum, puer, facie muliebri, nudo pectore, capite cornuto, vitibus coronato, et in tigribus equitando. Puer, quia ebrius tanquam puer sine ratione gubernatur; muliebrem faciem, quia in concupiscentia mulierum per vinum in ebriis generatur; tigrides, quia furibundi; nudus, propter veritatem, cornutus, propter auctoritatem. — Sunt etenim in ea vespes, quae si aliquem transfixerint, morte morietur. Theseus etiam, filius Aegaei regis, missus Cretam, ut occideretur a Minotauro, ipsum interemit et Athenas a turpi servitio liberavit, Adrianamque Phaedram, Minois filias, patri surripuit et apud fontem propinquum civitati, dum dormiret, Adrianam non merito reliquit et Phaedram coniugio sibi copulavit. Et quia in multis epistolis legi, Theseum

seum in hanc Adrianam reliquisse insulam, ideo potius hic hanc pono historiam, cum iter sit potius vel rectius navigationi Athenarum quam Chio; salva tamen auctoritate *Nasonis*, qui ponit in Chio hoc fuisse factum. Post autem recessum Thesei Bacchus, totius huius insulae dux, comprehendens astutiam et iniquam deceptionem tanti iuvenis, misericordia motus, puellam circumciliavit, et, cognoscens ipsam esse filiam regis Cretensium et Pasiphae, in uxorem accepit, et Vulcanus ei coronam gemmis splendentibus donavit, quam inter sidera collocavit. — Etiam cum in hac insula Iupiter adversus Titanos proficisceretur, et in litore sacrificium faceret, aquila in auspicium ei advolavit, quam victor bono omine acceptam suae tutelae subiugavit. Et tempore belli Troiani Peleus hic dominabatur. Erat enim tunc temporis habitata nimis, et tanta multitudo virorumque mulierum exstiterat, quod nihil in ea incultum videbatur. Nunc autem per ipsam bubones ululare non desistunt, et animalia indomita campisque vallis habentur ubique cum coturnicibus una. Hic numerum magnum reperi mulierum quae, copula virorum carentes, usque ad decrepitam aetatem in virginitate resident, non zelo constantiae meritae, sed ex defectu hominnm, finem complent virginalem. Vena auri in aliquibus invenitur partibus, quam domini ob defectum artificis intactam dimittunt. Cumque ad occiduum verteris, templum magnificum erigebatur, in quo statua Apollinis consistebat. Ibique prope salinarum panditur locus et turris diruta conterminatur. Infra denique montes vallis fertilissima est, *Darmille* dicta, cuius in circuitu *Aperato* erigitur oppidum, et monasterium atque castellum *Austri* una in altum dimittemus, et per vallem fructife-

ram usque viridarium, parvo flumine ad arenosum descendimus planum, qui ad montem *Stellidam* conterminatur.

Statius:

„*Iamque per Aegaeos ibat Laërtia fluctus*
Puppis et innumeras commutant Cyclades auras.
Iam Paros Olearosque latent, iam raditur alta
Lemnos et a tergo descrescit Bacchia Naxos,
Ante oculos crescente Samo, iam Delos opacat
Aequora, etc."

38.

*E*rant olim, ut dicitur, hae ambae habitatae, et *Podia* dictae. *Podia* enim graece, latine *pedes*, quia ad figuram pedum demonstrantur. Maior harum habitabilis erat cum munito olim castello, nunc autem ob Barbarorum insidias hanc colentes Naxos accessere. Prima VI., secunda IV. mi. in cir. remansere.

39.

Raclea et *Chero* duae insulae parvae et montuosae, videntur incultae nimis, propter Turcorum insidias; quae olim, ut aiunt, erant habitatae, quia vestigia in aliquibus partibus percipiuntur. In quibus multa aegarum societas reperitur quae vagatur ubique; et parvae in circuitu consistunt.

40.

Nunc petimus portum fessi insulae *Nio*. Et dicitur *nio* graece, *novum* latine, vel *nios*; i. e. *navalis*, quia libenter in tempestate ruentes hunc portum affectuose appetere curant. XL. cir. mi. Ad meridiem vero oppidum in sublime positum est, et vallis a longe parva cum foecundissimo campo aperitur in totum, et in partes divisus a colentibus seminatur. In sero ergo, postquam ad occasum perventum erit, in munitissimum magno labore ascendunt castellum. Mane autem facto, vetulas ad speculandum per insulam, ante auroram mittunt, et, dato ab eis signo, portae panduntur in totum, et sic vitam transeunt cum tremore. Tempore denique meo, dum navis piratarum in portu carinam praepararet, nutu divino aqua maris eam absorbuit, quae nusquam visa fuit.

41.

Uersus trionem *Anafios* insurgit insula; ab *ana* graece, latine *sine*, et *fios serpens*, i. e. *sine serpente*, quia ibi serpentes non reperiuntur, et, si certe illuc portarentur, subito morirentur, et, quod plus est, fer tecum de terra huius et circulum illius praepara serpenti, de subito moritur. Erat enim civitas olim in capite insulae munitissima nimis. Eapropter piratae iuxta ripam eius tute naves collocabant. Cumque per tempora hunc exercerent modum contermini proceres annis plurimis ad hanc desolandam urbem devenere, et, facto fine destructionis, castellum in medio insulae usque in hodiernum ordinavere diem.

42.

Nonnulli olim *Buport* hanc nominaverunt insulam, et cultiva satis, LXXX. cir mi., in montibus tota, quae nunc *Amurgospolis* dicta est. In qua tria oppida, *Amurgo, Ialli* et *Plati* existunt. Ad trionem vero tres porti videntur, *Sancta Anna, Calos* et *Cathapla.* Ad occiduum montes non ita elevantur velut orientales, et ideo *Catomerea* dicitur quod latine *pars inferior* sonat, et ad orientem *Apanomerea pars superior* declaratur. Ad meridiem denique rupes eriguntur terribiles et navibus minacissimae, quia venti, percutientes in mare, in ripis redundant, et, sic Scyllaque Charybdis, ita tumescentes, quod naves in naufragium saepe pereunt, et ita mirantes, viam a longe capiunt, et subversionis galeae ibi Venetorum recordantur.

43.

Convicinae duae insulae sunt, sc. *Chinera* et *Levata.* In quibus, aiunt, non habitavere patres; nunc autem, perventae ad solitudinem, incultae remanent, propter insidias malorum hominum, et saepe a circumstantibus animalia resolute patescunt cum asinis agrestibus una.

44.

Monstrabimus nunc *Caloierum* scopulum altissimum, in medio maris positum, ubi *Choa* insula ad austrum terminatur, et circumseptum altissimis ripis, propter suam eminentiam omnibus convicineis

insulis minatur. In quo cacumine ecclesia cum plano paratur. Et eo in loco duo Caloieri adorabant secure et naviculam rudente parato una in altum adscenderant, ut a saevis piratis eam possent custodire, et, precibus devotis horisque constitutis, sine timore, die ac nocte valeant exercere et offerre libamina sacrificiaque immaculata. Cumque diu ministerium tale peregissent, ecce Turcus in nocte, indutus vestibus similibus ipsorum, et ait: solus in navicula maculata, vocibus altis: Viri religiosi, amore Christi suscipite me miserum, quia istis in scopulis dira tempestas navem nostrorum Graecorum impegit salo, et nemo nisi ego solus evasit. Illi, misericordia moti, per funem ascensum hospitem Sinonem in altum acceptaverunt. In monte vero, dum intra ecclesiam adorabant, portam ab extra proditor firmavit et, vocatis sociis, absconsis iuxta scopulum, servos Christi et supellectiles ipsorum in Turchiam deportavere.

45.

Ianque ad insulam devenimus *Choam,* quae latine *luctus* interpretatur, quia propter *Acrem ineptam* pluribus mensibus anni lugetur et languetur in ea. Quae provinciae *acticae* adiacens, suburbana dicta est. De oriente ad occiduum XL. mi., et plana quasi per totum exstat. Ad meridiem vero montes cernimus sublimes, in quibus oppida erant *Petra, Chenia,* atque *Pili* quod hodie *Peripaton* dicunt. In superficie vero altioris montis, *Dicheus* dictus, munitissimum exstiterat castrum, in quo hodie cisternae apparent quam plurimae. Cumque ad radicem descendimus huius, fontem *Fandim* reperimus, a

quo *Sfandanus* fluvius derivatur, qui prope *Cyllipum* oppidum olim prorumpit in mare ad trionem. In medio autem vastissimorum camporum duo soli monticuli eriguntur, a quibus fons olim nobilissimus *Licastis*, hodie *Apodomarius* emanat. Iuxta olim *Castri* oppidum et molendina invariaque marmora manifestant. In quibus tanta est amoenitas locique cantus diversarum avium, quod non solum terrenis, sed etiam Diis immortalibus placidum esse dicatur. Ad orientem in litore *Arangea* metropolis est, cuius in medio lacus ampliatur in aestate corruptus, et ab extra moeniarum arangeae multae virescunt, et ideo Arangea dicta est. In quo tot et tanta aedificia marmorea et theatra reperi, quod est mirabile ad videndum. Extra vero castrum iuxta lacum ad trionem ampla domorum aedificia *Hippocratis*, eximii medici, visa sunt, cum fonte propinquo et palude *Lambi* dicta, quae in hieme ampliatur et crescit, in aestate vero desiccatur.. Fuit igitur iste Hippocrates filius Sclepionis et discipulus Aesculapii, physici secundi, et fuit de genere Aesculapii primi, a quo incepit ars medicinae, quam docuit et ostendit filiis suis, mandans eis, quod medicinam extraneis, imo patres ostenderetis vestris filiis, ut artis nobilitas semper fixa maneret in eis. Et praecepit quod in medio habitationis insularum Cycladum manerent, propter aëris intemperiem, vel in montibus Choae considerent in aestate. Dixit ergo perfectam apud Graecos medicinam. Ipsa enim medicina, ut ait *Macrobius* et *Isidorus*, ante Hippocratem siluerat per quingentos annos, a tempore Apollinis et Aesculapii, qui fuerunt primi eius inventores. — Et procedendo nunc ad medium insulae, parvi monticuli videntur inceptare, et sic altior ista planities est illius ante dictae

Arangeae. Postquam ad meridiem ad ***Antimachum*** oppidum cursum habemus usque in fine insulae, ubi *Cephalo* paratur in altum: non diu est quod serpens maximus devorans apparuit armenta, et territi omnes fugam arripiebant. Tunc strenuus vir pro salute populi duellum inceptat, dum inter bestias ruere vellet. Quod cum hoc serpens percepisset, equum, morsibus illico in terram prostratum, occidit; iuvenis autem, acriter pugnans, tandem viperam interfecit. Dicitur etiam et affirmatur, quod filia Hippocratis per insulam viva apparet, qua loquente tecum diu et narrante multa, infortunium suum infelicem connumerat, rogabatque saepe creatorem ut a tanta poena eam dignaretur liberare. Et, cum plura loqueretur, non longe a paternis domibus, lamentabilibus vocibus, in sex vel in octo annis semel contigisse transformationem hanc, ut a multis civibus comprobatur. — Refert etiam ***Plinius,*** quod ***Aristaeus,*** filius Apollinis, consilio matris, relictis Thebis huc venit et in hanc habitavit insulam et subiugavit eam. Fuit enim, ut aiunt, hic mulieres viros occidisse propter eorum inconstantiam, quia semper, in proeliis per Asiam minorem accedentes, curam insulae mulieribus dimittebant. Illae, aequaliter indignatae, ad enorme suorum virorum pervenere homicidium. Deinde Iason, per hanc, transiens ad Colchon, hodie Turcum, accessit coram civitate posita et constructa multorum aedificiorum, quae usque hodie in Armenia minori coram Cypro videtur. — Est denique haec omnium abundantissima, et primo in foeminarum ornamento lanificii hic artem inventam affirmant. Insuper et nativitas memorabilis ***Philidis*** poëtae hic fuit, qui imitatus Sapphonem poëtessam, rem Bacchidis decantavit. Ibique, infra

ripas altissimas, avis duo ova peperit, a quibus ex uno avis et ex altero canis nascitur, et percipiens mater, non esse cani similem, illico eum occidit et fratri praebet in cibum. Et quia insula haec contigua Asiae minori, ubi magnae insurgebant civitates, fratres Sancti Iohannis, ut insisterent infidelibus, castellum *Sti-Petri* aedificavere anno domini millesiquadringentesimo (1400).

46.

Super eminet in montibus valde *Calamos* nunc, quae olim *Claros* dicta est. *Calami* enim graece, latine *arundo* interpretatur. Quae, tendens de trione ad meridiem, XL. mi. cir. et tanta est montium sublimitas, quod si quis in altiore ascenderet cacumine, usque Chion insulam vel Ephesum urbem, vel Palatiam, civitatem Turcorum, certe visum perciperet clarum tunc cum sol declinat ad occasum. In istis equidem montibus per omnes saltus lanigerae pecudes, tondentes odoriferas herbas, incolumes accedunt, sine luporum timore, et flavae aegae, devastantes arbores, in summitate petrarum caprizare delectant. Ab oriente vero oppidum ab alto vetustum, quo in conspectu insula parva elongatur. Quae olim illustrissima usque nunc aedificiorum fuisse videtur; et quis posset in ea tot explicare numerum antiquitatum, et indicare lineamenta marmorum sparsa per totum, cum nihil in ea aliud percipere valeamus. Igitur in sinu quoddam oppidum *Calamus* erigitur munitum, et ad occiduum in sinu, prope flumen salsum, *Vathi* olim ampliabatur civitas, in qua aedificia plura videmus. Et veniens ad occiduumque meridiem,

in radice montis vel promontorii, porti duo videntur optimi, a quibus magna spelunca habetur, et in ea foecundissimus non desinit fons emanare; et ubique lignum Aloë crescit et salutiferum ab omnibus partibus habetur.

47.

Iuxta hanc *Herro* insula montuosa valde, ac marmorea exstat, quae ad orientem castellum munitissimum habet, ubi omnes coloni recreantur in nocte, ut secure patescant. Et ad austrum lepidus portus erat, ubi olim civitas eminebat in nocte et planus in radicibus eius ampliabatur. Si ad occiduum pergis, *Ferado* sinus illico panditur, et oppidum *Pantini* dictum olim cernimus desolatum. Et sic per totum montuosa dicitur, quae XVIII. mi. cir.; et ad omnia in suo gradu ipsam fertilissimam reputamus. In qua lignum Aloë recolligitur et mercatoribus venditur in anno.

48.

Tractavimus de Herro; nunc ad *Pathmos* venimus, in quam Iohannes, Christi discipulus, ad exilium, tempore Domitiani, Imperatoris, missus est, et in portu, in angulo quodam, ipso die dominico, raptus in spiritu, magna atque arcana de praesentibusque futuris vidit contemplando, et librum Apocalypseos scribens, nobis multa revelavit. In eodem denique tempore, mortuo Domitiano, in Ephesum, hodie *Alto loco* dictum, Iohannes magnis honoribus

receptus est. Qui dum Christi fidem miraculis magnis praedicaret, multi ex discipulis suis in hanc insulam accesserunt, et monasterium non longe a suo oraculo construxerunt, in quo quidem usque in hodiernum a Caloieris habitatur, et, a Turcis nullam habentes molestiam, saepe in Turchiam recurrunt ad sustentationem vitae. Quae montuosa cum humilibus collibus. In ea venae metallorum reperiuntur multae.

49.

Computavi de *Pathmo;* nunc ad *Dipsim,* parvam insulam, accedemus. Est igitur *dipsi* graece, *sitis* latine, quia sicca est et viriditate rarescit; ideo Dipsi nominatur, quia arida et montuosa, et nunquam habitavere patres. In qua sinus ab oriente videtur, et nunc ab aegisque asinis habitata silvestribus apparet.

50.

Ab alia parte huius ad occiduum *Crusiae* insula inter Icareamque Pathmon humilibus montibus circumsecta est, cuius in circuitu aliqui scopuli apparent; et derelicta longo iam tempore ab hominibus, quia in medio oppidum desolatum manifeste fuisse videtur. Nunc indomitae bestiae vagari delectantur; et dicitur *Crusiae* graece, *deauratae* latine.

51.

Refert *Varro,* quod in hac *Icarea* insula fuit Icarus, Cretensis, et ideo Icarea dicta creditur. Qui mox

offensus fastu tyrannico, relicta domo patriaque, Bruto consule, qui reges Urbe exegit, Italiam advectus. — Est ergo montuosa valde et cir. mi..... — Quo de oriente ad occiduum in longitudine velut unius in mari revolutae navis dorsum erigitur et in extremis declinatur. Cumque nautae Ephesiaci maris apicem huius insulae iunctam nubibus vident, illico portum procurare festinant, quia signum tale ad detrimentum navium transeuntium revertetur. Sunt et in hac, inter amfractus immeabilesque ripas, apes suis cavernulis frequentantes, et ibi mel valde nutrientes. Hic etiam belli Bacchi liquorem illi accepto multiplicare faciunt et circumstantibus mittunt. In quo cacumine duo sunt oppida, et ad orientem, prope mare, videtur in monte turris altissima, quae *Fanari* dicta est. In qua lumen olim procellosis existebat temporibus, ut transeuntes salvarentur, quia per totam insulam non poteris portum invenire.

52.

Dicitur insula haec *Mandria*, quae prope erigitur Dipsi, a scopulis circumdata; et quamvis olim habitata exstiterat, nunc ad solitudinem est perventa; in qua asini, voce sonora, silvestres perambulant sine timore una cum aegis infinitis.

53.

Insulae duae parvae et nudae habitationum ad orientem insurgunt, *Agatussa* et *Pharmacus* dictae. Quae coram flumine *Palatiae* diu inventae fuere.

In quibus saepe saepius piratae Turcorum vagantur, donec, consulti quam possint viam capere meliorem, discedunt. Prima est in cir. mi. XII., secunda IV. A quibus ad os *Palatorum* intratur, et per flumen cito in urbem deventum est, quae a palatiis olim magnificis nomen accepit; ubi lacus in hieme maximus effectus est, et tanta copia pisciumque anguillarum reperiuntur in eo, quae ubique transferuntur; et biremes abhinc, per insulas devastando, saepe in manibus fratrum Sti-Iohannisque Venetorum deveniunt, et ab eis ad infimum deducuntur.

54.

Non longe a supra dictis insulis, *Samos* insula invenitur, parum a continenti distans, quae tempore Deorum Gentilium existimabatur in cunctis sacrificiis sublimior, tunc cum societas maxima philosophorum regnabat in ea. Quae circumdata altissimis montibus LXXX. cir. mi. et longa de oriente ad occiduum. Ex una atque altera parte portus, aquis frigidissimis emanantibus, reperimus. Ad meridiem vero in plano iuxta mare magnifica exstabat civitas, et tanta ruina aedificiorumque columnarum cernitur, quod per diem impossibile foret ad narrandum. Et ibi templum Iunonis maximum, amplissimis columnis erectum, ut dicitur fuisse, quia effigies eius prope sculpta erat. Regina cum sceptro, et in capite nubes; iris ex transverso; pavones in pedibus eius lambebant, et ideo aves illius dictae. Iuno aër est, et soror et uxor Iovis, i. e. ignis; uxor, quia sub eo et ab eo calorem accipit et nutrit inferiora; soror, quia prope eum est; virgo, quia de aëre nihil exit et na-

scitur; iris et nympha, quia in aëre gignitur, et fumi de mari ascendentes cum aëre se miscent; et sic Neptunus nutritor Iovis quia sibi alimentum aliquod subministrat. — De hac etiam insula Pythagoras natus est philosophus, qui Babyloniam ad perdiscendum siderum motus originemque mundi spectandam profectus est et summa scientia consecutus est. *Polycrates*, ut ait *Valerius*, saevissimus tyrannus in hac fuit insula, et, fortunatus in omnibus suis factis, ad manus *Orontis Psaram* venit, qui dictum Polycratem in monte *Medalense* altissimo suspendit in ligno vel cruce. Insuper hic orta Sybilla quaedam, nomine *Phemo*, ex decem una, quae postea dicta *Samia* a loco. Hic etiam Paulus Aemilius, Romanus, vicit regem *Persim* et filium Philippi Macedonum. Quo in proelio viginti hostium millia intererant. — Hic etenim Turci innumerabiles a *Tamburlano* fugati evaserunt. Aiunt denique, quod in medio insulae locus fructificat pomorum, et licitum est homini comedere ex eis; volens vero cum fructibus eiusdem loci ad socios remeare, a via demeabit; si nihil portabit, libere via patefacta erit. Igitur per insulam altissimi montes et arbores pomorum videntur, quorum unus *Acte*, alter *Medalensis*, et ad occiduum alii altiores apparent.

55.

Ad occiduum prope supra dictam insulam desertae insulae *Furni* dicuntur, quae nusquam habitatae fuere, et aridae nimis, riparum immeabilium circumdatae. In quibus saepe naves recursum capiunt, et, tutae a ventis, sine refrigerio aquarum dulcium

magno timore Turcorum piratarum vigilando pernoctant. Quarum prima II., secunda III., tertia X., quartaque quinta IV. cir. mi. In maiori itaque earum, cum a partibus Rhodi et versus Chium iter facerem, nocte obscurissimaque nimbosa nimis, demisso carbaso, in portum intrare credentes, in scopulis iuxta promontorium ruimus; heu! cecidere manus, quia a ripis navem nullo modo separare potuimus. Cumque hoc cerneremus, in terram descendimus omnes, et sic per nimbosam illam transivimus noctem, donec ad lucem pervenit dies. Adveniente autem aurora, nusquam vidimus navem, quia iam in imum submerserat tota. Sed postquam ad hanc quintumque sextum diem sine Phoebo vitam transieramus, ad aquam, quae fuit in cavernosis lapidibus, saepe perveneramus, unde aliqui nostrorum animam Deo reddidere. Cumque ad septimum veniremus diem, et substantiam iam herbarum non inveniremus ad vescendum, in spileum declinavi, gladioque in petra nomen sculpsi meum: „Hic dira fame Christophorus mortuus est.“ Hoc autem facto socii convalescentes navem convocant transeuntem, quae fuit causa nostrae salutis.

56.

Liquimus tum portusque desolatas insulas et ad undas *Tenosae* ingressum petimus laeti, ubi, cum in ea venimus, magno labore antiquitates inter vepresque anfractus reperimus. In quibus quidem, propter nimiam fluctuationem ventorum in nocte luctantium, tanquam scintillae lapilli coruscant in altum, et suavissimae voces ventorum interim infra arbusculos in

auribus audientium percipiuntur. Valdeque montuosa, X. cir. mi.

57.

Iuxta Chium ad occiduum *Psara* dicitur graece, et latine *piscator* interpretatur. Quo in spatio XII. mi. oppidum insurgebat, et, cum ad desolationem deveniret, etiam domestica quam plura indomita sunt effecta. Coram itaque hac scopuli parantur, et sic in ipsorum medio portus exstat, in quo biremis Turcorum semel pervenit, quae, ut secure propter insidias Christianorum in nocte maneret, ad aliam secrete partem huius accessit insulae, et, dum pernoctaret, illico Boreas, emissus ab antro, navem submergit in imum. Turci vero, perterriti et per insulam perambulantes, asinosque aegas una silvestres cito capiunt, et carnes illarum edentes bestiarum coria plena venti ordinavere. Ubi ad numerum pervenere optatum, lignis circumpositis, super navigium tale consedere et versus Turciam propere in numero XL. non desistunt navigare. Cum itaque per triduum tandem prope Thraciam studiosius devenientes, navicula sex hominum eos invasit et ad tartara mandavere.

58.

Insulam *Chion* post hanc visitamus, quam *Plinius* Syrisior et Assanso nominat. Deinde Chios dicta est, quod lingua Syrica *chios, mastix* latine interpretatur. Et in Aegaeo sita mari, prope minorem

Asiam, quatuor millibus passibus et CXXIV. mi. in cir. eam numeravimus. Dicitur enim *chios* graece, latine *praegnans*, vel *chion columna*, vel *chion canis*. In qua Hisifile, Thoantis filia, patrem transmisit, fingens Lemniadibus ipsum occidisse. In hac etiam insula, ut ait *Ovidius*, postquam Theseus occidit Minotaurum, et aufugiens de Creta et secum deferens duas filias Minois regis, Adrianam non merito dimisit, et Phaedram sibi coniugio copulavit.

„Protinus Aegides rapta Minoide Chion
Vela dedit comitemque suam crudelis in illo
Litore destituit. Desertae et multa querenti,
Amplexus et opem tulit Liber: utque perenni
Sidere clara foret, sumptam de fronte coronam
Immisit coelo; tenues volat illa per auras.“

Quae longa de trione ad meridiem in duabus dividitur partibus. Harum prima, quae ad trionem exspectat, *Apanomerea* graece dicitur, et latine *pars suprema* interpretatur; secunda *Catomerea* graece, latine *pars infima* declaratur. Prima quarum in montibus asperis elevata et ab arboribus pinorumque platanorum fulcita est, quibus fontes emanantes per umbrosas valles, flumina frigidissima in mare decurrentia molendina triturant. Hinc inde igitur castraque oppida in collibusque planis plura cernuntur, sc. *Volisso* cum plano optimo, *Perperea*, *Sancta Helena*, *Melaneto*, *Vicho*, *Pithio* et *Cardamile* cernunt omnia circum, cum *Sto-Angelo*, *Helia*, et olim oppidum cum *rure Homeri* dictum enumerant in parte superiori. Quo in oppido diruto sepulchrum vatis Homeri ob nimiam antiquitatem invenitur deletum. Sed ab aliquo auctore nunquam narratum reperi quid de eo certum sit; ideo posteris

ad

ad inquirendum dimittamus. Ad trionem et fons *Nao* uberrimus exstat, ubi promontoria minacissima elevantur in coelum. Et non ab ea parum portus *Cardamilae* cum planoque flumine habetur optimus. Deinde ad *Delphinum* alterum cum turri et flumine optamus pervenire portum, a quo civitas *Chii* paucis milliaribus cum portu tutissimo a Ianuensibus sublimatur. Quae olim posita supra montem inexpugnabilem diu tutissima viguit. Quo in pede *Coronatam* eremitarum laudamus recte locum. Demum ex qua causa dimisere cives Laria nescio, et iuxta mare magnificam praeparaverunt urbem. Unde ab unaque altera parte campi cum vineis ostenduntur fertilissimi omnium pomorum habiti, et infra montes *Neamoni* exstat monasterium, in quo ecclesia mirae structurae consistit, plus quam narrare sufficiam. In quo usque hodie plus quam XXX. morantur Calogiri ad serviendum Deo. Ibique est cisterna miro artificio fabricata; in quo monasterio omnes transeuntes refocillantur absque pretio. Ibique prope trionem est ecclesia *Coronata Virginis Mariae*, devotissima cunctis gentibus. Atque Sctus *Nicolaus* prope per unum mi. cum una pulchra ecclesia manifestatur, cum debito viridario et pulchro fonte. Ab hoc vero loco per duo mi. habetur *El Dragolio* cum pulchra domo pulcherrimoque viridario et fonte atque pulcherrimis possessionibus. Hinc ad unum milliare reperitur Sctus *Iohannes* cum viridario bene arbuto atque turre cum fonte aquam recentissimam emanante. Ad *Catomeream* nunc erit nostra locutio; quae a parte meridiei et per occiduum arbores lentisci in humilibus collibus; gummam masticis in solo munito coloni tempore ve-

ubi plura oppida usque ad occiduum videntur, *Castel Gera, Hieremiae, Chidonia, Caloni, Vasilica, Castel Petra, Castel Molino.* Ad trionem *Castel Sti- Theodori, Castel Angerino, Castel Parrachila,* et turris, etc. Circa medium planus fertilis est. Ad orientemque occiduum montes et indomita animalia sunt una cum cypressis fagisque pinetisque manifestantur. Est denique in circuitu portuosa, et CXXX. cir. mi., et scopuli eriguntur, et prope Turciam conterminatur.

60.

Resumo nunc insulam *Tenedi,* quae coram introitu stricti Romaniae vel Hellesponti posita est et in conspectu antiquissimae Troiae apparata est in Aegaeo mari. Quae a quodam iuvene sic dicto nominata est, qui Athenis infamatus, quod suam cognovisset novercam, ob verecundiam ad hanc applicuit insulam, et vacuam cultoribus occupavit. Haec, tempore Laomedontis et Priami, opulentissima fuit, et in eius sinu Graeci paraverunt Troianis insidias, a quibus Troia deleta est. Per hanc bellum atrox inter Venetos et Ianuenses tempore meo fuit, quia quilibet ipsorum eam possidere volebat. Tandem ex concordia ambarum partium desolata remansit, et sic nullus in ea audet habitare. Sed postquam vi omnia relicta fuere, domestica multa animalia indomita devenere. In radicibus ergo altioris montis fons est, qui ab hora tertia noctis usque ad sextam, solstitio existente, tantum exundat in aquis, quod flumen maximum videtur esse; in aliis autem horis nil

in eo fuisse comprehendimus aquae. Haec etiam plana habetur et circumdata humilibus montibus manifestum est, nisi unus inter alios sublimatur. In quo tria millia Francorum, postquam Veneti classem Turcorum coram Gallipoli in mare summerserant, suspensi sunt, quia ex omni gente in favorem infidelium ibi erant in classe congregati, tempore Concilii Constantiae. Et hinc inde per planum tot vineta inculta et alia reperiuntur poma, quae hodie transeuntibus praebent refrigerium. Et, si versus nobilissimam olim aspicis Troiam, multa fragmenta antiquitatum ipsius vere videbis. A laeva denique in Hellespontum intramus mare ore stenuo. In quo introitu *Dardanellum* offendimus, ubi nunc et olim columnae elevantur multae.

61.

Dignum fore arbitror, postquam hucusque venimus, urbem Constantinopolim demonstrare paremus, ut animus legentium sit alacer ad ea quae dicturi sumus, cum multa miranda erunt inspecturis. Est ergo hic introitus ad *Hellespontum* usque stenuo ore, hodie strictum *Gallipoli* dictum, et Asia ab Europa dirimitur. In quo primo, postquam ad dexteram antiquam reliquimus Troiam, turrim a laeva, iuxta mare, invenimus, quae propinquior Asiae fuisse numeramus; et dehinc usque *Abidon* oppidum parva restat via. Ergo ille rex Persarum Xerxes in isto loco, ponte sub navibus ordinato, de Asia in Europam transitum fecit; et ait *Demosthenes:* decem centenis millibus militum elatum, qua-

tuor millium et ducentarum navium dominio terribilem, exigua latentem navicula fugere coëgit. Ponit enim *Lucius* quod cum, Philippo, rege, Abidenos oppugnante, et ad destructionem iam murorum venisset, cives, ob misericordiam, cum supellectilibus recedere volentes, capitaneus in castellum eos revocavit, dicens: Non pepercistis patriae et domibus vestris, ideo occisionem eritis omnes accepturi; ita quod ipsimet in disterminium mortis irruerent et domosque omnia ad ignem misere. Ultra vero XL. mi., ex parte Europae munitissimum *Gallipolim* oppidum videmus in altum, quod sponte Turcis infidelibus Imperator Graeciae tradidit et filias proprias eis copulavit. Ex qua largitione tanta secuta est et sequitur strages Christianorum, quod vix homo in sua aetate posset nomina scripta captorumque occisorum enumerare. Igitur Turci de montibus Armeniaeque Persiae pauperes in hanc venientes minorem Asiam, dominium ex consensu Imperatoris supradicti inceptaverunt. Ex quibus cito provincia novis linguisque gentibus usque in hodiernum impleta est. Quorum aliqui in bello fuerunt strenuissimi et memoriae digniores, qui, secundum ritum sectae eorum, laute gubernaverunt regnum et dominia multa vi abstulerunt Christianis. Quorum unus *Morathbey* merito dicitur. Mulier, dum ferculum lactis viro in agro portaret, famulus domini nimis epulum mulieris comedit. Quae conquesta, cito reus coram eo conducitur, et, abscissus in medio, lac cognoscitur, et iustitia coram *Morato* sublimatur. — Abbas quidam ornamenta sanctorumque ecclesiae abstulit, et coram Morato magno gaudio Mahumetum adoravit. Monachi vero, ex quo viam didicerunt abbatis,

coram eodem imperatore conquesti sunt. Ille igitur, dum astutiam atque fraudem abbatis comperit, restauratis Caloieris, coram eo de altissimo monte in imum delapsus est. — Bubulcus sub aratro vas plenum argenti adinvenit, qui cito coram Morato onerato curru accessit et monetam sibi consignavit. Ille, requisitis senioribus cuius imago esset? et neminem inveniret, ait bubulco: Vir bone, nec imago mea est, neque meorum antecessorum fuit, quare iustum non fore factum alienum capere et rectum alieni occupare. Ergo tua est. Vade in pace.

62.

Ad orientem in introitu maris Hellesponti *Marmora* insula est et XXX. cir. mi. Tota montuosa marmorum et arborosa zapinorum reperta est; a qua Constantinus, Iustinianus et alii Imperatores innumerabilia aedificia marmorum pro urbe Constantinopoli extraxerunt, et in ponte lapideo onerabantur. Ab alio latere oppidum elevatur paucorum habitantium, ubi scopuli aliqui praevalent. Dicitur enim mare hoc Hellespontum mare. Helles ergo, Athamantis filia, cum Phrixo fratre, insidias fugiens novercales, aureo vecta ariete, infortunio suo, has in undas decidit; absorpta de se nomen dedit undis perpetuum, ut, quod *pontum* dicebatur antea, diceretur postea *Hellespontum.* Habet igitur mare istud initium ab *Erythraeo* litore, ubi Aiacis sepulchrum erigitur, usque Chersonesum, et ibi in fine Europae mergitur.

63.

Navigando igitur per mare supradictum ut ad Urbem accederemus, ad dexteram *Calonimon* insula videtur in montibus posita nimis; et quia olim per omnem Graeci dominabantur, tunc temporis haec erat habitata; nunc vero in desolationem redacta est et indomita animalia vagantur per eam.

64.

Ostenduntur prope *Polim* parvae insulae cnm aliquibus scopulis hinc inde positis, et quia vicinae Urbi Constantini permanent, ideo Caloieri habent refugium. In quibus magna aedificia habebantur olim et monasteria sparsa per omnia apparent in istis. Ultra has insulas ad orientem, prope mare, erat civitas olim maxima *Comedia* dicta, in qua nil aliud nisi marmorea aedificia prostrata videntur. Quo in loco bubulcus arcam reperit, in qua rex illaesus, corona, sceptro et ense aureato erat. Dum vero nunciatur domino, et ab arca eum extrahere vellet, in cinerem illico est reversus. Dehinc ad *Nicaeam* itur civitatem et ad *Bursiam* olim nunc *Metropolim* plana demonstratur via. In qua imperator Turcorum suis uxoribusque filiabus resedit, quamvis modico tempore in uno moratur loco, sed semper cum tentoriis vagatur ubique.

65.

Devenio ad laesam *Constantinopolim* urbem, et quamvis insula non sit, postquam huc pervenimus, de ea pauca pertractabimus, ut ad iudicium legentium perveniatur. Est igitur a Constantino dicta, quae iuncta cum Byzantio, eam maxime ampliavit. Post autem, seculis labentibus, Imperatores ecclesiis eam ornavere, et praesertim Iustinianus, qui leges condidit, et Sanctam Sophiam aedificavit, cum Palatioque Prodromo. Remanet ergo triangulata et XVIII. est in circuitu mi. Primo igitur de angulo *Sancti Dimetrii* usque ad angulum Vlachernae VI. mi. spatium. Quo in spatio centum et decem eriguntur turres. Abhinc igitur usque *Criseam* portam V. mi. cum muro et antemurali munitissimo, et vallo aquarum surgentium et turribus in muro altiori LXXXXVI. Dehinc usque iterum Sanctum Dimetrium mi. VII. et turres CLXXXXVIII., in quibus moenibus est campus ab extra, et olim portus Vlanga, ubi Graeci Lm., ut dicitur, Francorum, pane calcinae fermentato dolose ex invidia vel timore occiderunt. Quorum ossa innumerabilia usque in hodiernum diem perhibent testimonium. Et propinqua huic *Condoscali* vel *Arsena* restat. Et ultra fuit supra moenia amplissimum *Iustiniani* palatium, cum ecclesia *Enea* dicta, nobilissima mosaicorumque aedificiorum, atque cum pavimento miri ingenii contexto. Ibique in alto et supra mare erat speculum immensurabilis magnitudinis, circumspectum a longe nimis, et omnia eius aedificia marmorea in mare videntur prosternata, prope *Portulum* Imperatoris dicti. Etiam de immenso Palatio usque ad Sanctam Sophiam, erat per

milliare via columnarum binarum, per quam Dominus accedebat, ubi octingentorum Clericorum per circuitum domus erant; et de totius insulae Trinacriae, ut dicitur, fructu ad vescendum capiebant. Nunc autem sola testudo ecclesiae remanet in ea, quia omnia diruta sunt et ad nihilum devenerunt. A qua usque ad pavimentum CXLIV. brachia, et a pavimento usque planum fundamenti, quia tota una cisterna optimae aquae ampliatur, brachia XXII. Insuper per ecclesiam sunt de angulo ad angulum CXX. brachia; quae desuper rotunda, et in plano quadrangulata resedit. Quis autem poterit enumerare ornamenta marmorum atque porphyrorum cum mosaicis liniamentis, quia, a quo latere incipere vellem, evanesco. Extra igitur ecclesiam ad meridiem in platea columna septuaginta cubitorum alta videtur, cuius in capite Iustinianus aeneus equester habetur, et cum laeva pomum aureum tenens, ad orientem cum dextera minatur; et iuxta hanc sex columnae marmoreae erectae magnae videntur seriatim. Ultra vero has ad meridiem *Hippodromus* distenditur, quod latine *equi cursus* appellatur. In hoc autem spatio nobiles coram iustrabant populo et duella atque torniamenta parabantur; DCLXXXX. etiam in longitudine brachiorum et CXXIV. in latitudine ampliabatur; et supra columnas aedificatum est, in quibus cisterna amplissima optimae aquae totum supradictum continet spatium. In capite vero Hippodromi XXIV. erant altissimae columnae, ubi Imperator cum principibus residebat. Ab una autem parteque altera Hippodromi sedilia gradatim in longitudine erant ipsius marmorea, ubi populus sedendo omnem ludum comprehendebat. Per medium denique dicti cursus in

longitudine humilis est murus. Et primo versus Sanctam Sophiam est ecclesia cum muro magnifico, innumerabilium fenestrarum adornato, ubi dominaeque iuvenculae cum matronis suos prospiciebant dilectos. Ubi in principio dicti muri *summus balneus* erigebatur, in quo vulnerati ponebantur. Deinde *Agulia* ex uno latere in quatuor aeneis taxillis in altum recta: cernitur cubitorum XLIV. et in pede eius versus sic sonant:

„Difficilis quondam dominis parere serenis,
Iussus et exstinctis palmam portare tyrannis
Omnia Theodosio cedunt, sobolique perenni,
Ter denis sic victus ego domitusque diebus
Iudice sub Proclo superas elatus ad auras.“

Ultra hunc lapidem tres aeneos serpentes in unum videmus oribus apertis, a quibus, ut dicitur, aqua, vinum et lac ab eis exibat diebus iustrantium. Ultra etiam in altera ex multis lapidibus Agulia connexa LVIII. cubitorum erigitur. Ultra denique in fine humilis muri huius quatuor humiles columnae marmoreae videntur erectae, in quibus Imperatrix praeeminebat ad festum. Fecit ergo Theodosius omnia ista et alia multa per urbem laudanda. Reperiuntur insuper hodie infinitae columnae, quarum quidem quinque videntur maiores marmoreae, et LX. cubitorum pro qualibet elevatur in altum. Et primo columna Iustiniani dicta, secunda Crucis, quo in loco IV. erectae porphyreae videntur. In quibus quidem equi quatuor aenei aureati positi erant, et Veneti illos Venetiis apud Sanctum detulere Marcum; columnis remanentibus. Tertiaque quarta columna-

rum quasi in medio Polis sunt positae, in quibus circumcirca acta Imperatorum sculpta cognoscuntur. In ecclesia vero Sanctorum Apostolorum quinta cum angelo aeneo et Constantino genuflexo columna est, et ecclesia iam dirutaque amplissima omnia sepulchra Imperatorum porphyrea videntur magnifica, una cum Constantini immenso, et ibi columna ubi Christus ligatus et flagellatus est. In monasterio *Pandocratora* est lapis ubi Ioseph Christum revolvit in sindone. In monasterio *Sti Iohannis de Petra* sunt vestimenta Christi, et arundo cum spongiaque lancea in unum conservata. Sunt denique per urbem innumerabiles ecclesiae atque cisternae mirae magnitudinis et industriae fabricatae, et in ruina positae. Vinea pro qualibet in ea trium vel quatuor vegetum vini crescit. Cisternae *Sti Iohannis de Petra, Cisterna Pandepopti, Cisterna Pandocratora,* Cist. *Apostolorum,* Cist. *Mahumeti,* in qua ita subtili artificio sunt ordinatae columnae, quod est incredibile ad narrandum, et aliae multae, sicut *Sta Sophia,* quae est principalior aliis, et *Iustinianus* in XV. annis illud explicavit opus. *Sctus Georgius de Mangana, Sancta Herini, Sanctus Lazarus, Chiramas, Enea, Petrusque Paulus, Sti* XL. *martyrum,* et sua cisterna amplissima optimae aquae, in qua, ut dicitur, nullum invenire finem; *Anastasis, Periulestos, Sctus Iohannes de Studio,* Stus *Andreas, Vlacherna,* etc., in qua tanta copia ubique aedificata remanent ipsarum ecclesiarum, et una pulchrior altera, quod longum esset enarrare. Sunt etiam per civitatem pauci habitatores et inimici Latinorum, qui nunquam secretam pacem cum eis obtinebunt, et si promittent, non observabunt.

Fuit etiam haec urbs pulcherrima valde, et aula sapientiaeque honestatis, nunc vero ad ignorantiamque duritiam vetustae opinionis perventi, peccato gulae adhaeserunt, et in tantum delati propter copiam pisciumque carnium, quod pars quarta ipsius ad morbum inciderunt leprae, et doctrinam Iohannis Chrysostomi, Damascenique aliorum Sanctorum patrum dimisere. Ad trionem per unum mi. *Pera*, Ianuensium pulcherrima civitas est, quae per sinum ab urbe separatur. Sunt enim ab isto loco usque mare Pontum, seu Euxinum, XVIII. mi. Ad trionem ore stenuissimo, cum periculo intrantium hodie navium, cum quibus, postquam de Urbe narravimus, ad Aegaeum mare, ad insulam *Stalimini* revertemur.

66.

Erat haec insula *Lemnos* dicta, nunc vero *Stalimini* denominatur, in Aegaeo mari sita et plana tota, C. cir. mi. *Limni* enim graece, *lacus* latine. Ad quam, propter eius bassitudinem, periculosum est accedere, cum in ea sinus et porti sint optimi, et plura oppida habitantur in ea. Legitur etiam in hac insula Venerem concubuisse cum Marte, eiusque adulterium Solem Vulcano, suo coniugi prodidisse. Quos ambos Vulcanus adamantinis catenis ligavit eosque aliis Diis turpiter accubantes ostendit. Mulieres autem Lemniades, adulterium Veneris damnantes, ipsam tanquam indignam praetermittendam dixerunt; his odorem hircinum Venus indignata misit, unde omnes mulieres, instigatione Veneris; omnes viros occiderunt. Sola vero Hisiphyle, Thoantis fi-

lia, patri pepercit clam ceteris, quae regina a mulieribus facta est. Argonautae, Cholchos euntes, hanc invaserunt insulam, quorum princeps Iason cum Hisiphile concubuit, et Oeneumque Thoantem filios procreavit. Ubi autem mulieres Lemniades Hisiphylem servasse patrem comperiere, eam interficere voluerunt. Illa vero fugiens a praedonibus capta, et Lycurgo, regi Argolico, in nutricem vendita est. Ex hac etiam insula Mimii traxerunt originem, unde a Pelasgis expulsi, a Spartanis recepti sunt. Qui, cum imperium civitatis usurpare tentarent, in carceribus missi et a Spartanis ad mortem damnati sunt. Viri ergo, mutatis vestibus uxorum in carcere, inclinatis tectisque capitibus in signum calamitatis, relictis uxoribus, e carceribus evaserunt. Hic Thoas, filius Bacchi, rex fuit. Quae abundantissima in frumento habetur.

67.

Uersus trionem *Embarus* est graece, quod *ambra* latine sonat; in Aegaeò sita mari et montuosa nimis; pauci habentur in ea; quae XXX. cir. mi. et in puncta Hellesponti oris prospectat, ubi etiam civitas imperfecta ab *Agortanis* apparet incepta, et insula haec ab imperio Graeciae possessa est.

68.

Restat nunc ut de *Mandrachi* aliqua dicamus, quae *clausura pecudum* latine nominatur, et habitata satis, in culturaque in melle et in aegis splendida ha-

betur. A qua in sinu *Miliaco* intramus, ubi civitas *Emi* habitatur cum Acheloo flumine propinquo.

69.

Sequitur etiam *Taxo* insula, quod *promitto* latine sonat, prope montem sanctum hodie dictum, quae XL. cir. mi. et habitata valde. Tria in ea oppida enumeravi pulchra cum fertilitate maxima, quae coram ora Acheloi fluminis famosissimi adiacet manifeste.

70.

Invenimus post dictam insulam montem *Athos* olim; et quamvis nunc continens sit, tempore Xerxis, regis Persarum, a continenti mons iste erat divisus, nunc cum terra firma coniunctus est et *Mons Sanctus* nominatur, prope *Salonicensem* civitatem, in provincia Thraciae, altissimus valde et ibi propinquus. Cuius in summitate *Achroano* oppidum olim erat. Longior quam in aliis terris aetas habitantium extendebatur; et in circuitu montis ad plus CXXIV. mi. videtur habere. Quo in loco tot et tanta sunt monasteria Caloierorum, Sancti *Basilii, Chrysostomi, Nazanzeni,* et praeteritorum monachorum, quod difficile foret ad narrandum. Surgunt igitur in tempestate noctis silentio, postquam signum primum ligneae campanae rauca voce dederat, secundum Graecorum consuetudinem, et ad ecclesiam accedentes, matutinale divinum cantant officium. Cumque hoc finitum est, ad suas redeunt casas, et quicquid a suo

mittitur priore, separatim cum pace comedunt. Sunt enim aliqua horum monasteria, quae ad communem Caloierorum trahunt vitam, aliqua ad alium asperiorem modum vivendi vitam ordinavere, quia in sabbato de monte atque solitudine omnes in cellulis redeuntes, et in officio divino die Dominico usque meridiem orantes, ad refectorium accedunt, et completo prandio, pars ipsorum paneque leguminibus in heremo paratur introire, et ibi, suspiciens coelum et stellas, tota mente suspirans et patriam cogitans aeternam, de exilii sui loco protinus ad orationem humilem os secum convertit; et, ubi iubare iam solis exorto, in diurnas Dei laudes, pio laetus ore, praerumpit. Ipse sibi comes, ipse sibi famulatur; nec metuit solus esse dum secum est. Coelum spectare, non aurum, terram amat calcare, et benedictio cum gratiarum actione saepe est in ore suo. Scit vitae hominum pauca sufficere, et summasque veras divitias ultra nil optare, summumque imperium nil timere; laetum agit atque tranquillum aevum, placidas noctes, otiosos dies et secura convivia; it liber, sedet intrepidus, nullas struit aut cavet insidias; angelorum aula conviviis odor colorque optimus, iudex morum testisque modestiae; mensaque pacifica, luxus et tumultus nescia, gulae domitrix; et voluptas foeda exulat, et regina sobrietas regnat; cubile castum et quietum; conscientia paradisus est praeparatus. Multi itaque in huiusmodi monte talem sponte eligere vitam, quae in tantum trahit eos in contemplationem, quod, si maceries lapidum contra rueret eos, nullo modo timerent atque oculos vel caput torquerent ad videndum. Aliqui etiam in monasteriis cum silentio tribus in ebdomada cibum capere vicibus sunt

sunt assueti. In quibus pro quolibet centum Caloieros communis vitae, et in aliquibus quingentos enumerabis. Igitur monasteria de X. usque ad XXX. multa videntur vitae communis. Hic autem apes, ficus, oliva in amoenissimis vallibus virescunt; et sedentes in coenobiis aliqui pannos texunt, aliqui sotularia suunt, aliqui retia nectunt; in manu ille fusum in lana revolvit; iste canistrum viminibus plicat, et omnes alternatim, horis stabilitis, Deum laudare conantur, et pax in eis regnat sempiterna.

71.

Non longe ab insula Lemni *Sanstrati* parva insula et montuosa in Aegaeo mari sita est, quam Turci desolaverunt; in qua animalia indomita ambulantes cunctis habitant temporibus, et oppidum sine moeniis fuisse videtur. XV. cir. mi.

72.

In hoc ergo mari Aegaeo *Limen* insula in monte apparet, non magna valde, sed pulchra olim exstiterat; quae parum habitata XL. cir. mi. Et *Limen* dicta a *limite*, quia naves, a Thessalonica civitate venientes, recto tramite per istam transire student, ut navigatio securius habeatur.

73.

Sequitur insula *Dromos* dicta, latine *cursus*, quia naves, de oriente ad occiduum navigantes, ab ista

signum capiunt, et saepe cives transeuntibus in nocte signum demonstrant, ut tutius navigetur. Fertilis et XXX. cir. mi.

74.

Macri seu *Chalchis* olim in Aegaeo mari insula dicta est, in qua pauci habitant. Ad hanc autem *Poemidas*, praefectus classis Antiochi, pervenit, insidians Romanae classi, et sic devictus remansit in totum. Quae XL. cir. mi. Rubea haec litera mille importat.

75.

Capimus alias duas convicinias insulas supradictae; quae *Schiati* et *Scopuli* dictae erant, in Aegaeo mari. Quarum prior XXII., secunda XII. cir mi. Harum quidem olim dominus magnae erat industriae et astutiae nimis. Qui semel cum ad insulam Euboeam navigasset ad praedandum, et in terram omnes descendissent, cives clam evasere biremes, et sic piratae ad occisionem omnes pervenerunt. Haec litera rubea centum importat.

76.

Consurgit coram dictis insulis scopulus *Sanctus Helias* dictus, qui, sublimior aliis, ubique minatur; in cuius cacumine ecclesia parva insurgebat, et ibi Caloierus, serviens Deo, ad solem dum dormiret, aquila, credens ipsum esse brutum, in eum descen-

dit et cum rapacibus ungulis oculos evulsit duos. Ille infinitum dolens et Deum affectanter rogans, ad eum Helias venit, omnibus videntibus sociis, qui oculos restauravit suos. — Haec litera rubea centum importat.

77.

Consequitur *Schyros* insula, quae longa de trione ad meridiem in Aegaeo mari LXXX. cir. mi., portuosa nimis et *Pegasseum* prospicit sinum; quae nemorosa satis et in montibus tota. Tetis, Achillis mater, Carpathii vatis vaticinio monita, periturum filium, si ad bellum iret Troianum, ipsum Achillem in habitu femineo in hac insula apud Licomedem regem abscondit, hicque solum a Deidamia, regis filia, dilectus et cognitus est, et eam non invitam clam sororibus aliis oppressit, et ex ea filium habuit.

Statius:

„Protinus aggreditur regem atque ibi testibus aris
Hanc tibi, ait, nostri germanam, rector, Achillis
(Nonne vides ut torva genas, aequandaque fratri)
Tradimus, arma humeris, arcumque ominosa
Petebat, etc.“

Et quia nemorosa atque aspera, tot et tanta sunt animalia multarum manerierum silvestria, quod est mirum; quia pauca sunt habitatores, et in circuitu magna consistit, ea propter Turci eam saepe visitant sine habitantium timore. In qua IV. erant oppida habitata, et nunc duo restant. Rubea litera centum importat.

78.

Coram ducatu Athenarum ad trionem *Euboia* olim nunc *Egrippos* nominatur, quae contigua continenti, quia pons in medio elongatur cum turre munitissima, sub qua tam impetus aquarum habetur bis in die quod mirabile sagitta velocissima permeatur cum profunditate nimia. In capite pontis Egrippos civitas ampliatur, et fertilis reputatur in partibus istis. Quam *Nauplus* possidebat, et pro vindicta filii sui Palamedis, qui in castris principum Graecorum proditorie excisus est Ulyxis astutia, coepit omnem Graeciam circuire et ibi suasionibus coniuges eorum in adulterium, cum quibuscunque poterant, exhortabatur, et sic ad vindictam filii arbitratus est, quia multi principes in reversione ab amatoribus uxorum suarum occisi sunt. Ultra hoc Nauplus in Caphareum conscendit montem, et, nocte, accensa face, Graeci de Troia redeuntes, ad evadendam tempestatem, ad ignem in portum salubrem credentes intrare, in letiferos scopulos perierunt, et sic vindictam cepit de morte filii Palamedis. In hac itaque insula *Orpheus,* poëta vetustissimus claruit, qui dixit esse unum Deum verum et magnum, qui omnia gubernat, et quod ante ipsum nil sit genitum, et ab ipso sint cuncta generata et creata. *Gorgias* etiam, philosophus, de hac fuit insula, et magister Socratis, qui in matris feretro natus, dum ferebatur ad sepulchrum, subito vagitus infantis auditus est. Et fuit primus inventor Rhetoricae et complevit centum annos, nec unquam a suo studio et opere cessavit. Fuit etiam Neptunus, pater Naupli, huius insulae dominus. Quae longa de oriente ad occiduum C. mi. et CCC. in circuitu. Ad trionem Caphareus habetur

mons, ubi ***Aulis*** insula est, in qua ***Efigenia***, Agamemnonis filia, erat sacrificanda numini Dianae, iratae propter cervi mortem, ut contra Troianos prosperos haberent ventos; sed miseratione numinis Efigenia sublata cervam superpositam sacrificavit. Ad meridiem civitas est posita et a Lombardis usque nunc habitata, qui diu hic venere, et hodie a Venetis possidetur. Haec litera rubea centum importat.

79.

Christus a chrismate dicitur, ergo a Christo Christiani vocamur, quia chrismate ungimur. Et Graeci neque chrisma neque oleum sanctum habent, nisi quod, baptizato puero in sindone munde eum involvunt, et cum saleque oleo patrini circumdando frontem perungunt. — Sit itaque finis a modo, postquam insulas totius Archipelagi in IV. peregi annis, timoreque anxietate nimia, et ad ***Aeginam*** hanc insulam, ubi caput Sti *Georgii* adoratur in conspectu urbi Athenis, venimus. Et hic navicula nostrae imbecillae navigationis portum futurae recreationis cum salute accepit. Rubea litera decem importat.

80.

Christoferus ego ***ensenium***, venerande Pater, primum tibi affectanter misi, ut notitia insularum Cycladum, Iordane, omnibus per te fuerit indicata. Nunc autem, postquam magis in partibus sum perscrutatus diu, secundam copiosiorem etiam tibi de-

scriptionem volui destinare; quod, quando otiosus exstiteris, saepe ad hunc librum animum possis iucundare tuum. Haec litera rubea decem importat.

Finis.

LUDOVICI DE *SINNER*

IN

CHRISTOPHORI BONDELMONTII,

FLORENTINI,

LIBRUM INSULARUM ARCHIPELAGI

ANNOTATIONES.

ANNOTATIONES.

Liber Insularum] In titulo omnes fere quos novi consentiunt Codd. praeter unum Pseudo - Ensenii, apud *Bandini.* Biblioth. Laurent. T. 2. p. 41. cod. XXV. qui inscribitur: *Descriptio Cycladum aliarumque insularum*, etc.; titulus ex initio libri desumptus.

Presbyterum] nude pro *Clerico.* v. *Cangium* s. v.

Christophorum] A. et C. *Christoferum.* Scripsi per *o* propter anagramma initialibus literis compositum, quod infra videbimus, consentientibus aliis Codd. omnibus.

de Ursinis] deest in A., in cod. Ensenii et in Magl. Habent autem C. B. et alii, et inest in anagrammate. Ceterum de Cardinali illo Iordano de Ursinis, sive Orsini, adisis *Iselinum* in Lexico s. v. Orsini.

Titulum in cod. Ens. sequitur hoc epigramma, lepidum quidem sed a Bondelmontio minime confectum:

Si vacat ipse potes quae scribimus hospes adire,
Tunc quoque sit quamvis utilis iste labor.
At si non facile est, patria tellure relicta
Alta procellosum per mare vela dare,
Me duce quae multis ipsi lustravimus annis
Si sapis, exiguo tempore disce domi.

PRAEFATIO.

I.

Pag. 51. *Cycladum*] C. *Cycladarum.*

una] C. *dona.* L. *dona.* E. *deest.*

diem] deest in A.

percensita] B. *praecensita.*

Florentia] E. *patria.*

Colossensem] A. C. *Collocensem.* Band. *Colocensem.* Est civitas Rhodi.

animo] L. *admodum.*

aliarum] A. E. *aliorum.*

scalarum] C. B. *scalam.* L. *secalarum.* Scala pro portu, ad quem applicant naves. v. *Cang.* in Glossar. s. v. Genitivus loci Graecismum redolet.

aliqualis] C. L. *aliqua mihi.*

Graiarum] Codd. *Grayarum.*

mihi] deest in C. L.

ostio] A. C. E. *ostium.*

ibi] Sic C. L. — A. E. *tibi.*

per] L. *a.*

denuo] deest in L.

directo] L. *dicato.*

Pag. 52. *itineribus*] deest in C. A. sed habet L.

succincte] deest in L.

in pascuisque] Primum nota Abl. pro Acc. cum *in* confuse positum; deinde *que,* quod pro *et* apud nostrum usurpatur. *Palmerius* quidem ac *Cangius que* isthuc expungere voluerunt, sed male hoc ipsis cessisse infra videbimus.

in arentia] L. *inhaerentia.* — Est Acc. pro Abl. solita nostro confusione.

egas] scr. *aegas.* Vox e graeco hodierno ἡ αἶγα

pro ἡ αἲξ desumpta. v. *Valckenaer* ad. Ammon. l. 3. c. 18. p. 230. not. 8. — Apud nostrum varie scribitur.

portus] deest in L.

pandentur] A. *cognoscentur.*

ipsis] L. *istis.*

sitque] E. *sicque.*

admodum] A. *admodo.* fortasse l. *a modo.*

tractaturi] L. *tracturi.*

ordinatim] L. *seriatim.*

hic] deest in C. E.

ponamus] A. *ponemus.*

Corfu] E. *Corcyra.*

Graeciae] C. *Graecia.*

occiduum] C. *occidentem.*

Leuchata] L. *Leucata.*

Dulichia] E. *Ithaca.*

Cephalonum] Codd. *Chephalonum.*

Iacinthus] A. *Iacinctus.*

Sapientia] E. *Saopia.*

Chituria] C. *Cytarea.* L. *Chitaraea.* E. *Chitarea.*

Sequilus] E. *Sequilus.* L. *Sequibus.*

Carpathus] A. *Carphatus.*

Rhodos] A. *Rhodo.*

Caristos] Codd. *Charistos.*

Dilufanos] L. C. *Dilos.* A. *Dilu.* E. *Delio.* v. seqq.

Astympalea] *Astimphalea.* A.

Polimio] deerat in Codd. sed inserui.

Milos] A. *Milo.*

Thermia] A. C. L. *Thermie.* — E. *Termiae.*

Cea] L. *Caea.*

Myconos] A. C. *Michono.* L. *Michone.* E. *Michole.*

Panaya] L. *Anaya.*
Chiro] E. *Chero.*
Niv] A. C. *Hio.* L. *Cheronia,* male cum praecedenti connexum. Bene E.
Buport] Sic dedi ex seqq. A. C. L. *Brupot.* E. *Amurgo.*
Chinera] L. *Chimera.*
Levata] A. C. *Leucata.* L. *Lenata.* Bene E.
Claros] E. *Calamos.*
Herro] L. *Erro.*
Pathmos] L. *Patinos.*
Crusie] L. *Crussie.*
Formacus] E. *Furmachus.*
Furni] L. *Farne.*
Tenosa] L. *Tenesa.*
Gallipoli] A. *Galipolis.* Codd. reliqui *Galipoli.* Et modo unus L. *Tenedos,* vel *Tenodos.*
Marmora] Bandini errorem silentio premam ut nimis absurdum.
Polis] i. e. Constantinopolis, ut habet E. quod Band. non vidit.
Stinlimini] E. *Stalimine,* ut postea. C. L. *Stilimni.*
Mandrachi] L. *Mandracci.*
Taxo] L. *Taxos.*
Macri] Deerat in Codd. Sed ex seqq. inserui.
Helias] L. *Helyas.* E. *Elias.*
Schyros] Deest in L.
Aeginaque] Codd. praeter E. per *Eginaque,* scriptione itala.

II.

Pag. 53. *demonstrare*] C. L. *monstrare.*
circumcirca] Ita L. Reliqui *circum.*

plenitudine] L. *amplitudinė.*
in hodiernum] L. *hac potestate.*
Archipelagum] Ubinam hoc nomen, apud Classicos haud usurpatum, (v. *Mannert* Geogr. T. 8. p. 757.) primum occurrat me latet.
Maleum] C. *Mallium.* L. *Malleum.* Scrib. erat *Maleà.*
Tenedon] Codd. praeter L. omnes *Tenodon.*
D. mi.] Laur. male *V. milliaria,* ex errore Bandinii codd. lectionis minus gnari. Scribebatur, ut in A $\overset{c}{V}$, i.e. D.
concluditur] L. *includitur.*
Phrygiaeque Baetuliae] A. *Frigiaeque Bectuliae.* In rell. *que* deest.
Turci] Codd. ubique semper *Thurci.*
sub eis] L. *ab. Ruentes* ex Italismo, more nostri, Nom. particip. absolutus.
Thessalicam] Codd. *Tessalicam*, more Italorum qui *Th* libenter non scribunt.
populata] Sensu labentis Latinitatis, incolis frequens, gall. peuplé, ital. popolato. v. Cang. s. v.
loca delinquimus] *Loca,* fortasse Graecismus, pro *pago,* ut Graeci Byzantini et hodierni χωρίον, quod olim *locus,* nunc pro *pago* usurpant. Cfr. Boissonade ad Herodian. Partit. p. 124, n. 6. et adde nunc Lydum de Ostentis ex ed. C. B. Hase, p. 102. A.; 186. B. — *Delinquimus* — i. a. *relinquimus,* vox in Cang. non obvia.
Athenarum loca p. ultra] C. *loco.* — C. L. *ultro.*
Aegaeum mare] Cfr. ad haec Mannert T. I. p. 757. Cellar. ed. Schwarz l. 2. c. 14. §. 124, 125. p. 1044. T. 1.
ab Hellesponto] L. *a.* A. *Hellesponte.*

Maleum] Codd. *Malleum.*

huiusmodi descriptionis] C. *huiusmodi divisionis.*

dum rubeas — litteras] Bandini in L. barbare: *E numerabis.* — Res sic sese habet; enumera literas initiales cuiusque capitis, a primo usque ad ultimum, octoginta et duae istae initiales litterae, in Archetypo rubro colore depictae, hocce exhibent anagramma.

CRISTOFORUS BONDELMONT DE FLORENCIA PRESBITER NUNC MISIT CARDINALI IORDANO DE URSINIS MCCCCXX. i. e.

Cristoforus Bondelmont. de Florencia, Presbiter, nunc misit Cardinali Iordano de Ursinis, 1420.

Ex eo quod Codd. Parisinis nullae sint litterae initiales *rubeae,* inferre licet nullum eorum esse Archetypum, quod Oudinus tamen (v. Praef. nostr.) de cod. 4823. olim Thuaneo omnino male credidit. Archetypum Libri exemplar, testo Mazzuchellio, Florentiae in tabulario domi Bondelmontianae adhuc servatum, litteras istas rubeo colore depictas sane habebit; in quod inquirant, si licet, Florentini illi viri egregii *Bencinius, Fiacchius et Follinius.*

quo in locoque tempore perfeceram opus, manifestabis] *Quo in loco. Locus* ubi auctor versabatur litteris quidem initialibus minime indigitatur. Sed ex initio Cap. 13. et fine videre est *Rhodi* opus perfectum esse. — *Quo in tempore;* tempus indigitatur primum voce *nunc* in Anagrammate, dein nota anni 1420. — Pro *manifestabis,* i. e. deprehendes, C. L. *manifestabit,* quod referendum ad *opus;* satis displicet. Secutus istas initiales litteras, sive *rubea,* ut Auctor in-

fra Cap. 74—80. ait, totum librum in 80 Capita, et *Praefationem*, seu Auctoris ad Iordanum epistolam nuncupatoriam in *duas* sectiones dividi.

Pag. 54. *comprehendas*] A. *comhrehendaris*.
nigro] E. *purpurino*.
viridi] E. *azurro*. Oh splendidum Codicem!
panduntur manifeste] A. L. *pandentur m*. Addit L.: *in descriptis picturis huius operis manifestissime*. Manifesta librarii glossa.

1.

Ostendetur] L. *Ostenditur*.
Cercyra] A. *Cericira*.
a rege] Imo a regina, a Cercyra, Asopi filia. Cfr. quos laudat *Palmerius* Graecia antiqua l. 2. c. 10. p. 349, 50. Adde Meletium Geogr. τμῆμα ιή. κεφ δ'. §. 2. p. 324. Mustoxidi Illustrazioni Corciresi T. 1. p. 22—27. Milano 1811.
hodie] deest in A. C.
Corfu] a κορυφώ et a plur. abbrev. *Κορφοί*, κορφὺς, κορφὺ, Corfu. v. Dom. Niger. l. 11, p. 292.
C. mi. cir.] L. plenius: *Centum milliaria circuit*.
Valanidarum] Quercus aegylops. βελάνι, βελανίδι, βαλάνι, dimin. βαλάνυ· hodie pro *glande* usurpatur. At de Velanidis cfr. Dodwell T. 1. p. 13. 123. Olivier. Planch. No. 13. Part. 1. et T. 2. p. 67 et 67.
In Amphipoli] Hunc locum usque ad *conspicit in terra* — habet Palmerius, l. l. p. 363. 64. ex cod. Thuaneo olim, nunc regio 4823.
munitissimum] P. *altissimum*.
multarum — gentium] C. *multis gentibus*.

Sed consentit cum A. P. Et genitivus ille pro abl. omnino nostro admodum familiaris.

et in ea] Errasse nostrum pluribus demonstravit Palmer. p 364, 357. 58.

tormentisque] Codd. omnes prave: *torniamentis*, quod pro munimentis nunquam, semper autem pro Gallorum *tournois* usurpatur. — *Que* isthoc habet Palmer. ex quo infero primum eum vocem *torniamentis* non percepisse, dein Bondelmontium omnino *que* pro *et* promiscue usurpare.

Dodoniam] P. *Dodonem.*

firma] Et hic videtur esse versus, disiectum poëtae membrum, quod ex rhythmo videt.

ait] Ante *ait* male A. inserit *ut.*

Ovidius] Ovidius, quoad scio, haec omnino non narrat.

Dodoneum] A. *Dodonem.* Mythologica de Dodone collegit *Barthélemy* Voy. d'Anacharsis. Ch. 36, p. 135 — 41. ed. Bipont. T. 4. — De situ Dodones cfr. *Hawkins* in *Walpole* Trav. p. 473 — 88.

columbas] A. male iterum post *hoc: de coelo.*

eis] A. *eius.*

Boeotiae] Codd. *Boetiae.*

altera] Longe aliter quam barbarus noster rem narrat *Herodot.* l. 2. c. 55.

huius] P. *eius*, qui inde ab: *In radicibus* habet usque ad *hilares* p. 364.

navem] A Plinio videtur fuisse deceptus. cfr. Dodw. T. 1. p. 56. Meletius p. 325. a.

Leucinnam] A. *Laucinnam.* P. *Lancinnam.* Inest lapsus memoriae, ut iam vidit Palmer. p. 364, quamvis prava lectione deceptus. Melet l. l.

piratis] P. *privatis.*

probatur] P. *conspicitur.*

hor.

horum moeniorum] A. *harum moeniarum*. Consentit cum C. P. et usus loquendi nostri.

Matris Domini] P. *nostri domini*, male. Nam ex nostra Codd. lectione Bondelm. sic bene vindicatus a vituperio Palmerii. l. l. Meletius l. l.

Pag. 55. *Epirus*] A. *Epirrus*. C. *Epyrus*.

dictus] C. *dicto*.

Heleni] A. *Eleni*. Locus corruptus, fortasse membrum poëtae.

Butroto] C. *a Butr*. A. *Brutento*, f^e^ pro *Butrento*, nunc *Butrinto*; apud Dom. Nigrum p. 291, errore typographico, ut videtur, Butintro. Accipe *Brutento*, s. *Butroto* pro Nom.

Virgilius] cfr. Aen. 3, 293.

portuque] Codd. *portumque*, male.

celsam] A. *celsum*.

urbem] C. arcem.

Flaminius] cfr. Liv. l. 32. c. 6. Mustoxidi Ill. Corc. T. 2. p. 122. sq. Milano 1814.

Macedoniae] C. *Macedonis*.

2.

Pachisos] A. *Pachiso*. Nunc Paxo, olim Paxos, Paxi, Paxae. Cfr. Palmer l. l. p. 365. Cellar. l. l. p. 1005.

paucorum — hominum] C. *paucis hominibus*; male.

vineisque domesticis] ad verbum fere idem habet Dom. Niger p. 292.

portus tutus] Portus *Sti Nicolai* apud Dodwell. p. 62.

concluditur] C. *includitur*.

tenebatur] Consentiunt Niger l. l. et Dodw. T. 1. p. 52.
medio] deest in A.
minuitur] A. *minuatur*.

3.

antiquum] A. *in anticum*, scriptione itala.
refluxum] C. *reflexum*.
LXXX. mi. Codd. *millia*, sed ita leg. per *mi.* et Genitivo *milliarium* cogitandum.

Pag. 56. *fontium*] A. *fontes*.
procedes] Codd. *procedens*.
fons] deest in A.
civitatem vetustisssimamque deletam] A. *civitas vetustissimaque deleta*. — Hanc *Nicopolin* nostrum non in insula, ut videri possit, conspexisse apertum est. Cfr. Palmer. p. 293—97. Cellar. l. 2. c. 13. Sect. 5. No 174.
dimisit] Virg. Aen. 3, 286. Verba: *a Troia arma* desunt in A.
Virgilius] Aen. 3, 274—77.
nimbosa] C. *umbrosa*.
Hunc] A. *Huc*.
parvaeque] C. *et parvae*.
hanc] deest in C.
Hic Augustus] Virg. Aen. 8, 678.
piratarum] Codd. *pyratarum*. Per y voces librariis minus cognitas sive prorsus ignotas scribi credo, ut iam alibi videre erat.
V. omnino Dodw. p. 66—78. Holland. p. 44—49. Oliv. T. 6. Ch. 14. Cellar. p. 892—94. Mannert. T. 8. p. 75—77.

4.

Pag. 57. *Dulichiam*] P. *Dulichium.* Haec a *Nunc* usque ad *periculosis* habet Palmer. l. 4. c. 23. p. 510. Errorem hunc nostri vidit *Palmer.* p. 510. quem secutus est *Schlichthorst* Geogr. homerica. Goetting. 4. p. 90. cui Schl. omnino debeo notitiam Palmerii. In eodem errore versabatur Itinerar. marit. p. 524. apud Mannert. l. l. p. 93. Ceterum apud Dodwell p. 85. not. negligentius noster citatur, ut ex contextu quem damus videre est.

Ithaca] C. *Itaca.* A. *Taca.*

Val di Compare] P. *Valde compare.* Niger p. 296. *Vall de Compagno.*

arboribusque casis] A. *arboribusque satis.* P. *et satis culta.* C. *arboribus casisque.* A. et P. errant propter ὁμοιοτελευτῶν.

III. mi] C. *tribus milliaribus.* Sed Genit. *trium milliarium* mens esse nostri videtur.

extrema] A. et P. *extremi.*

duobus — cornibus] cfr. Palm. p. 514.

nautis] A. C. *a nautis.*

hic] deest in A.

Ithaci] imo *Icarii* ex Homero.

Telemachum] A. *Thalamacum.* — C. *Thalemacum.*

coactus] A. *conatus.* Librarius sive ipse Bondelm. verba *conari* et *cogi* inter se confundit.

Ithacam] A. *Itacum.*

sal] A. *salem.*

Telemacho] A. *Talaniaco.* C. *Thelamaco.*

sui] pro *eius*, solemni nostro confusione.

opposuit] A. *opponit.*

coactus] et hic A. *conatus.* v. not. supra.

conatus] C. *coactus.*
decennes] A. *decennem.* C. *decennis.*
sua] deest in A. qui omnino hic mendose sic habet: *in domo in domum suam.*
procatoribus] C. *procis.*
proelio] deest in A.
multo post tempore] A. *deinde magno.*
Virgilius] deest in A. v. Aen. 3, 272.
De hac insula *Ithaca* cfr. Palmer. l. 4. c. 23, p. 507—17. Dodw. T. I. p. 78—100. *Holland* p. 39—44.

5.

Pag. 58. *Finis*] Haec usque ad *Epiphanius* habet *Palmerius* l. 4. c. 24. p. 524—25. — P. *fines.*
et] P. *est.*
Cephali] C. *Cephalim.*
a tempore] *a* deest in P.
hodie] deest in P.
ducati huius] C. *ducatus.* Sic Nicephorus Gregoras, apud Palmer. p. 527.
Ulyxem] A. C. *Ulixem,* ex Italismo. P. *Ulyssem.*
fuisse] deest in C.
et] deest in A.
cir. mi.] P. *circa mi.* Male, quia scriptionem hanc compendiatam non intelligebat. Legendum: *circuit milliaria,* verbo neutro.
pinorum] A. C. *pinnorum.*
errantia] Sic P. et C. Sed A. *errantes.* Nescio quid praehabendum.
et] deest in C.
invenientia] A. item *invenientes.*
e] P. *in.*
aestate illa] P. *animalia.*

etenim] P. *etiam.* Sic de Paxos *Dodwell* p. 62. et cfr. Aelianum hist. an. 3, 32.

et] deest in A.

et ab eo] deest *et* in P.

aedificatam] A. *aedificāta.*

quo in horto] P. *quo in orto,* sensu eodem ex Italismo.

quasi ultima quam] P. *quam ultimam.*

Romani] v. Livium 38, 28. 29.

Ad occiduum ergo] P. *Ibidem vero.*

Viscardus portus] Promontorium *Viscardi* memoratur apud *Dodw.* p. 102.

Roberto] deest in P.

Apuliae] P. *Appuliae.*

Petilia] in Cod. Thuaneo apud Palmerium nomen hoc ut evanidum punctis notatum. Eadem est fortasse ac *Palis.* Palmer. p. 528. 29.

Chilon, Lacedaemonius] P. *Ch. Lacedaemonius;* sed A. et C. *Lacedaemonicus.* Sed haec de templo Delphico recte memorantur apud Plinium h. n. l. 7. c. 12.

philosophus] deest in P.

dicit] P. *ait.*

Cypricus] P. *Cyprius.* Undenam hoc a nostro sit petitum non dicam.

Cicero] Tusc. 1, 22.

Pag. 59. *ut*] deest in A.

Belisarius] haec usque ad — *reparavit* prostant itidem apud Palmer. p. 525.

nepos Iustiniani] eheu!

iniuste] deest in C.

Gothos] A. *Gothis.*

Samus] Sic Dodw. p. 101. Mannert p. 90.

Virgilius] deest in A. v. Aen. 3, 270.

Dulichium] A. *Dulichiam.*
Neritos] A. *Veritus.*

6.

Iacyntho] Sic omnino erravit noster pro *Zacyn-tho.*
Iacintus] Codd. *Iacinctus.*
vel a] deest *vel* in A.
a flore] deest *a* in A.
et] A. *vel.*
Saguntum] cfr. *Cellar.* l. 2. C. 1. Sect. 3. §. 92.
Hierosalem] l. *Hierusalem.* Hoc de insula Ithaca narrat Anna Comnena apud Palmer. p. 517.
somnis] l. *somniis.*
est] deest in A.
Pag. 60. *Cephaloniae*] cfr. supra C. 5. Mortuus est R. Guiscardus in insula Cephallenia; et urbs Hierusalem erat in Ithaca. cfr. Palm. p. l.
exspiravit] Plane similis historia narratur apud Persam *Mirchondum* (in *Wilken.* Chrestom. persica, p. 115, et Auctar. p. 7.) ubi vox persica *Badendun*, ex ingeniosa interpretatione viri summi, Parisiis mihi quondam litterarum arabicarum et persicarum magistri, *Sylvest. de Sacy*, nihil aliud est quam corruptio Graecarum vocum πόδας ἔκτειvov.
apparet] A. *apparuit.*
est] deest in C.
lacus picis] v. *Mannert* p. 96. et adisis *Hawkins* on the Tar springs of Zante, in R. *Walpole*, Travels in various Countries of the East. Lond. 1820. 4°. p. 1—6.
a musca] deest *a* in A.

Malvasiae] de hoc vino cfr. i. a. *Zallony* Voy. à Tiné. Paris 1809. p. 61.

in eadem] C. *cum*. Abl. pro Acc.

ignari navigationis] supple *nautae* et accipe pro Nom. absol.

vena metallorum] Sic *Niger* p. 298.

Porti] C. *portus*.

terraemotis] C. *terraemotibus*.

ducissa] Quid sibi voluerit nescio?

Virgilius] Aen. 3, 270.

7.

Pag. 61. *Plotae*] Hic inesse confusionem apertum; et Strophades, quae ante Harpyiarum reditum e Ponto Euxino, etiam Plotae dicebantur, bene esse discernendas ab Echinadibus, nemo nescit. Cfr. Mannert T. I. p. 542. et p. 81. — Cellar. l. 2. c. 14, §. 21. et 10. Eundem cum nostro errorem habet *Apollodorus* Biblioth. l. 1. c. 9. §. 21. T. 1. p. 92. ed. *Clavier*.

milliarii] C. *milliaris*.

Echinnadae] Sic Codd.

Echinnis] Quid in mente habuerit noster definire non ausim; an ἔχιδνα, an ἔχινος? sed nec unum nec alterum pro *pisce* usurpatur. Credo ergo labi eum ut alias saepius.

Strophe] A. *Stropha*.

Caloierorum] *Καλόγηρος*, monachus, vox apud hodiernos quoque Graecos usitata. v. *Du Cange*. Glossar. med. et inf. Graec. s. v.

quia] deest in A.

fuerunt] C. *fuere*.

contemplari] C. *contemplare.*
Phinei] C. *Phynei.*
ipsum] C. addit *Phineum.*
'rpalicae] C. *Arphalicae.*
Cetus] Scribendum erat *Zetes.* De tota hac historia cfr. Apollodor. Bibl. l. 1. c. 9, §. 21. cum doctis *Claverii* notis T. 2. p. 175 — 180. not. 89 — 95.
Ergo ipsi — Strophades] An *dixerunt* sensu passivo accipiendum? An potius legendum *ipsis* i. e. insulis? Prae barbarie orationis parum liquet.
hoc — reversionem] A. *haec — reversio.*
Arpiae] Sic pro *Harpyiae* Codd.
expulsae] A. *expulsi.*
Celaeno] Codd. *Celeno.*
earum] C. *harum.*
Virgilius] deest in A. Aen. 3, 254.
urbem] Codd. *urbam.*
Pag. 62. *omnes*] A. addit *et.*
avaritiae — rapinae] C. *avaritia — rapina.*
Virgilius] deest in A.
sic] A. *sub.*
Tristius] A. *Tristis.*
Guminus] pro ἡγούμενος, *Abbas.* v. *Cangii* Glossar m. et inf. Gr. s. v. eum aphaeresi vocalis initialis, hodiernis Graecis solemni. v. *Boissonade* ad Herodiani. Partit. p. 17. n. 3. Sensus huius vocis fortasse derivandus ex Epist. ad Hebraeos C. 13. v. 7. 17. 24. v. *Schulz* D. (der Brief an die Hebräer etc) p. 70, 71. p. 256.
certe] C. *certissime.*

8.

Pag. 63. *Sapientiam*] quam hodie *Sapienza* nuncupant, eam esse ex *Oenussis* patet. cfr. Mannert p. 545. Cellar. l. 2. c. 14. §. 24. Errat *Niger* p. 328, eam *Sphagiam*, *Sphacteriam* nominans, quae in conspectu Pyli est.

Modonense civitate] C. *Modonensem civitatem*. de *Modon*, quae olim *Methone* adi *Mannert* p. 543, 44. Cellar. l. 2. c. 13. Sect. 15. §. 346.

aegis] Codd. *aeghis*, *eghis*.

Quarum minor] Nomin. absol. nostro admodum familiaris.

Turcorum] Codd. *Turchorum*, ex Italismo.

consisterent] C. *constiterent*.

Lux] C. *Luce*.

et insidias] C. delet *et*.

restituerent] A. *restituere*.

Modonum — et Coronum] C. *Modonis* et *Coronis*, sine *et* ante *Cor.* Sed praetuli vitiosam scriptionem, quae nomin. neutr. accipienda.

liquore — Palladis] oleo.

Barlaam] Ex quonam monachi, illius tum temporis celeberrimi, scripto haec? V. de *Barlaam* i. a. *Iselin.* et *Moreri* in Lexicis.

homo bellorum — plurimum] Haec refer ad Pelopem.

adversus] Codd. *adversum*.

Oenomium] C. *Oeneum*. Scribendum erat *Oenomaum*. v. Apollod. Bibl. ed. *Clavier*. T. 2. p. 167.

ingens] A. *ingentem*.

Hippodamia] A. *Hippodamiam*.

Peloponnenses] C. *Peloponnensem*.

denominavit] A. *nominavit*.

9.

Pag. 64. *strenuum*] A. *extremum.*
in eis] deest in C.
Cythaream] Codd. *Citaream.*
Citri] nunc *Cerigo*, olim *Cythera.*
insurgit] A. *insurgitur.*
Citeron] Sic Codd. ex Italismo pro *Cytheron. Boschini* l'Arcipelago, etc. Venezia 1658. 4°. p. 6. „Vi si vede da ponente (dove è tutta montuosa) le ruine d'un Castello chiamato *Cythero.*"
columbis] A. *rosis.*
ignis] A. *igni.*
assumpta] A. *absumpta.*
una] C. *altera.*
alatus] A. *allatus.*
quia — concupiscentiam] Desunt in C.
avaritia] C. *avaritiam.*
Pag. 65. *accendit*] A. *accedit.*
respexisset] A. *respexissent.*
operam] deest in A. *Forma* accipio Abl. pro *pulchritudine.*
consecutum est] Deest *est* in A.
desolationem] A. *desolatione.*
Ilium] A. *Ilionem.*
circumactus] A. *circumacta.*
Draconariae] italice *Dragonere.*
Cfr. ad haec *Holland* p. 37 — 39.

10.

Sichilum] Sic Codd. Sed melius quadrat lectio supra in enumeratione insularum (Praef. §. 1. p. 52.) obvia: *Sequilus.* Nomen hoc nusquam vidi; sed

corruptum est ex εἰς Αἰγυλίαν; olim fuit insula *Aegylia*, s. *Aegyla*, (v. Cellar. l. l. §. 32.) apud *Boschinium* p. 6. *Cecerigo*, hodie *Cerigotto*.

agrestibus — asinis] A. *agrestis — annis*.

agresti] Sic Codd.

epilenticum] pro *epilepticum* sc. morbum; v. Cangium in Glossar. s. v.

fumigatione — facta] C. *fumigationem — factam*. l. *fumigatio — facta*, nomin.

capitis] C. *capti*. Boschini p. 6. „ha (Cerigo) gran quantità d'Asini salvatichi, ch' hanno una certa pietra in la testa, che vale contro il mal caduco; e facilita il parto alle donne." —

praebebis] A. *praebes*.

liber] deest in C.

serpentariae] f. Arum Dracunculus. Linn. spec. 1367.

rosae] C. *rosato*.

remanebis] A. *remanebit*.

brodio] C. *brodo*, ex Italismo. — *Brodium*, carnium elixarum ius; Gall. *broët*, Ital. *brodo*, *broda*. v. Du Cange s. v. deducenda vox a βλύδιον, q. a. βλύζω, *ius*. v. *Hase* in Leon. Diacon. p. 249. C.

Pag. 66. *abluentur*] deest in C.

eis paravere] C. *sibi p.* Et quidem noster mirum in modum pronomina haec confundit; sed hic leg. *eis*.

in tempestate] C. *intempesta*.

in qua] deest *in* in A.

11.

quem — composui] Liber iste duplici recensione impressus exstat in Creta sacra *Flaminii Cor-*

nelii (*Cornaro*) T. 1. p. 1 — 109. v. Praef. nostram.

quamvis, quae] A. *quaevis quae.*

erunt] A. *erant.*

Salmon mons] hodie Cap Salomo; Sammonium Antiquorum esse hodiernum Cap Sidero demonstrat *Mannert.* T. I. p. 706, 7. Sed cfr. novissimum *Sieber* Reise n. Creta. T. 2. p. 306. 7.

Carpanti] C. *Carpathi*, verius ex Bondelmontii mente; sed dubito.

Corycis] Sic Codd. Olim *Corycus.* Mannert, p. 691. hodie *Garabusa.* Sieber p. 298.

Maleum] Potius *Malea*, nunc Cap Malio di St. Angelo. Mannert p. 600, 601.

Nebrot, Creto] C. *Nebroth.* — Barbarizat noster. A Crete, filio Iovis et nymphae Idaeae. V. Meursii Creta, l. 1. c. 2. p. 4. ed. Amstelod. 1675. 4°. Vide tamen Gotfrid. Viterbiens. apud Meursium l. 3. p. 119. Cornel. l. l. p. 18. not. 1.

tenacis et albae] Sieber T. 2. p. 2.

accessi] A. a prima manu: *ascendi*, sed superscriptum a secunda manu legitur, ut in C. *accessi.*

Saturnus] A. *Saturni.*

dixit] en *dixit*, activum sensu passivo usurpatum, nisi malis auctoris alicuius nomen, quod fe exciderit, supplere. Cfr. notam ad Cap. 7. supra p. 152 ad verba: *Ergo ipsi — Strophades.*

Pag. 67. *Ad sui — appellavit*] Desunt in C.

Vestam] A. *Vestem.* Vesta, quae hic dicitur *uxor*, modo *mater* a nostro dicta est.

ut invenerat] i. e. eodem fraudulento modo.

Idaeum] A. *Idaeam.*

delatus] A. *delatum.*

ut — ne] C. simpliciter *ne.*

adolevisset] C. *crevisset.*
ac etiam] in A. deest *ac.*
construxere] Sic Codd. f[e] *construxit.*
corpus] deest in A. v. *Meurs. Creta.* l. 2. c. 3. et 4.
Arilatiae] C. *Aulatiae.* Cnossi istum fuisse tumulum extra dubium est. v. *Meurs* l. l. Tournefort Voy. du Levant T. 1. p. 27. a. ed. Amsterd. 1718. 4°. — *Niger* p. 349: „Cnossus in plano sita, ubi nunc praeter nudum nomen aliud nihil superest.“ Plura Cornelius l. l. p. 59 — 62. n. 75.
Ptolomaeo] At Ptolomaeus de his, quoad scio, nihil.
antrum] A. *antrorum.*
ampliabantur] A. *ampliantur. Boschini* p. 4. (de ins. Candia): „Sopra questa spelonca (di Minos) si *vede al presente* un Epitafio di Giove, dal quale questo loco ha il nome. Qui vicino si vedono gran ruine di Castelli, di Tempij, e gran quantità di marmi lavorati.“
vergimus] C. *vergimur.*
Hierapolis] C. *Ierapolis.* — *Siebero* T. 2. p. 272. pars esse videtur Hierapolis restitutae Gortynae, et nomen suum debere ecclesiis et aevo Christianorum.
ingentibus — aedificiis] A. *ingentia — aedificia.*
Matalia] Sic quoque Ptolomaeus, v. *Meurs.* p. 46. Olim Metallum, navale Gortynae. *Cellar.* §. 74 et 92. *Sieber.* T. 2. p. 278.
Pag. 68. *pedemque*] *Que* deest in C.
Chisamospolis] C. *Chissamospolis.* A. duabus vocibus *Chisamos polis,* f[e] bene, esset e more nostri vox graeca, ut iam vocem *aegas* vidimus, aliasque. videbimus infra. Olim *Cisamos*; nam

graecum κ per *ch.* Italis redditur. Ad rem cfr. *Mann.* p. 692.

Cadistum, hodie Spatam] Olim Dictynnaeum promontorium montium Leucorum, hodie *Cap Spada.*

appropinquatur] C. *appropinqvabatur.*

Cydonia, — hodie Achanea] A. *Chidomo.* Hodie *Canea,* et sic f[e] leg. v. Mannert. p. 693, 94. *Sieber.* T. 2. p. 267. 68. T. 1. p. 145. itemque Geogr. nov. p. 285. A quibus dissentit *Barbié du Bocage* in: Analyse de la Carte de l'Ile de Crète, quae inserta est in *Saintecroix* des anciens gouvernements fédératifs, etc. Paris, an 7. p. 473. ubi Caneam hodiernam antiquam esse Minoam sistit; v. ad haec *Sieber* T. 2. p. 279.

deportavit] C. *ropotavit.*

Titus Livius] Haec ex Livianis epitomis l. 97. Anne forte tum temporis Livius totus fuit superstes? Vix, opinor. Alia antiquorum ad historiam pertinentia v. apud Mannert, p. 688. Sieber T. 2. p. 243. et *Meurs.* l. 3. c. 5. p. 150.

Retinnam] ol. Rhethymna, nunc Retimo. Mann. p. 696. Sieber p. 289. Geogr. nov. gr. hod. p. l. Reise durch die Inseln des Archipelagus. St. Petersburg 1793. 8°. p. 20 — 22. (hoc anonymum opus in posterum *a* me siglo *Arch.* laudabitur.)

Candacum] Sic Codd. *Chandax* vox est arabica (Chandac) v. Meninski et Goliun in Lexicis. et *Hasium* ad Leo. Diacon. indice, s. v. *Candia* et *Chandax.*

quae — Candia] Deest *quae* in A. v. Mannert. l. l. Sieber. p. 265. Arch. p. 25 — 27. Geogr. hod. p. 284. 85.

emere] Anno 1194 teste Boschini p. 4. *eam* de tota insula, *hanc* autem de urbe Candia accipiendum.

Chersonesum] Hodie Spina longa, castellum, et vicus Colochita. Mannert p. 702. Sieber. p. 265. 66.

moeniorum] A. *moeniarum.*

Holopixopolim] Olim *Olus*, gen. Olontis; hodie Mirabello. Mannert p. 704. Aliter *Sieberus* T. 2. p. 273. 281. A. *Olopixopolim.*

Istrinam] *Istrona* occurrit apud *Artemid.* v. Meurs. l. l.

aperiuntur] C. *reperiuntur.*

Sarandopolis] Urbs haec nusquam occurrit; legitur tamen nomen ἅγιοι σαράντα, pro antiquo τεσσαράκοντα, apud Mannert p. 710.

Gigantum] A. *Gagantum.*

Sectia] Sic Codd. Olim Minoa, postea Sitea, nunc Settia. Mannert. p. 705. Sieber p. 289. Meurs. l. l.

Salmon] V. not. supra.

propalatur] C. *appellatur.*

Dicteum] Olim *Dicte.* Mann. p. 711. Sieber. p. 299. n° c.

Lassiti] Arch. p. 30. Olim Lyctos. Mann. 702. Sieber p. 276—78.

habetur] A. *habentur.*

Messarea] A. *Metarea.* C. *Messarta,* quibus e duabus lectt. meam composui. Hodie *Messara.*

Gortynae] Codd. *Gortinae,* per *i,* Mannert. p. 715. 716. Sieber p. 271, 72.

apparent] Codd. *apparet.*

descendentium] A. *ascendentium.*

irrigabant] A. *rigabat.*

ad plus] deest *ad* in C.

et idolorum] desunt in A.

ore strenuo] Sic Codd. L. *stenuo*.

Labyrinthus] A. *Lamberiatus*. C. *Laberintus*, ex Italismo, *laberinto*.

Pag. 69. *Phaedrae*] Imo Ariadnes, nam Phaedram postea tantum in uxorem Theseus accepit. Sieber p. 228.

sororis suae] A. *sorori s.* in C. deest *suae*.

Ida] Hodie *Psiloriti;* Mannert p. 722. Sieber p. 299.

Cnosia] Sic Codd. Olim Gnossus, Cnossus Mann. p. 699, 700. Sieber p. 266.

ordinavit] C. *instituit*.

Apteriapolim] A. *Apteri Apollini*. Olim Aptera, nunc Paleocastro. Mannert p. 723, 24. Sieber p. 263.

ab auctoritatibus] deest *ab* in C.

de XII. domibus] F^e de *IIX*. *Boschini* p. 4. ita: „Appresso il monte Leua (sic; f^e Leuca), si vedono dieci case, che al tempo di Costantino furono habitate da tutta la sequente Colonia de Romani, i quali col tempo hanno lassato la lingua, etc. i costumi propri, e sono divenuti Greci; i quali furono questi: Gurtaci, cioè Saturnini [sic]; in numero di 500. — Melesini, cioè Vespasiani, 300. — Lengi [sic], cioè Sottili, 1600. — Valsti [sic] cioè Pompiniani, 200. — Claudi, cioè Romuli, 180. — Selgodili, cioè Aglati, 900. — Colieni, cioè Colonnesi, 300. — Arculeadi, cioè Orsini 160." Ergo, ut apud nostrum *octo tantum* familiae enumerantur. Adde nostrum in Creta sacra T. 1. p. 17. c. not. 91. 92. p. 74. *Cornelij*.

diem] deest in A.

devenerunt] C. *tenuere* iterum.

Gortati] a χορτάζω, χορτάτοι vox hodierna.

in

in numero] deest *in* in C.
Mellisini] A. *Millesimi.*
Scutiles] C. *Suttiles.*
sexcenti] C. cifris, A. *secenti,* ex Italismo.
Cladi Ramuli] Sic Codd. At v. Bosch. modo laud.
Colonenses triginta] Sic Codd. — Unde haec desumpta?
Leucus] *Mannert.* p. 721.
tanti cupressi] A. *tanta arcipressa,* ex Italismo, *arcipresso.*
et crescunt] deest *et* in A.
foret] A. *fore.*
tabulis] f^e *tabulae.*
Virgilius] Aen. 3, 104.
magni] Codd. *magnis.*

12.

Pag. 70. *Carpanti*] C. *Carpathi.*
Pallene] A. *Pallente.* Confuse haec dicta. *Niger* p. 444: „In qua Proteus, relicta Pallene, civitate quondam Thessaliae [sic] regnavit." Dicendum erat *Thraciae;* v. Mannert T. 7. p. 463, 64. Apollodorus l. 1. c. 6, §. 1. (ubi v. Claverii notam 6, T. 2. p. 67.) inter Phlegras et Pallenem, ut mihi videtur, male distinguit. Proteum ex Aegypto in Thraciam Pallenem venisse, de hac re antiquorum auctorum locos collegit Clavier in Apollod. T. 2. p. 274, 75. Et v. quae infra notabimus ad Cap. 77. Nostrum sequitur Boschini p. 8: „Qui habitò Palane [sic], figlio di Titano, che per ciò

fù detta Pallane; vogliono le favole, che qui fosse nudrita la Dea Pallade." Undenam haec?

Titani] Codd. *Titanis.*

nomen] deest in A.

quia in ea] Addit A: *ex quo quia in eo.*

hydrae] A. *hidrie.* f[e] leg. *iride* ob sequentia.

oliva] A. *olive.*

et misericordiae] Desunt in C.

theologicas] C. *theoricas.*

Epimetheum et Prometheum] A. *Epymeteum et Promoteum.*

hominis] A. *homines formasse simulatur.*

Prometheum] Codd. *Promoteum,* et sic infra.

posset] A. *posse.*

simulacrum] Codd. *simulachrum.*

et in Caucaso] deest *et* in C.

perennniter] C. *perpetuo.*

terream] C. *terram.*

consideravit] A. *consyderavit.* Voces sibi ignotas per ỹ scribere librariis usitatum erat.

vigorem et coelestis] f[e] *cui vigor est et coelestis origo; furasse* etc. Sive potius, servata codd. interpungendi ratione: *vigorem et coelestem originem,* etc.

Pag. 71. *nihil*] C. *nil.*

Tristomos] Bosch. *Tristano,* et sic quoque *Arch.*

Sario] Bosch. in tabula, p. 9. *Saria.*

Theatros] A. *Cheatros,* solemni elementorum *Th.* et *Ch.* confusione. Hodie *Porto Grato.*

in acrotiri, i. e. punta] ἀκρωτήρι vox hodierna; punta, vox itala, hic nihil aliud quam Gallis *pointe.*

Thuetho] A. *Tuecho,* C. *Thiocho;* ex Arch. dedi.

Archussas] l. *Arcussa.*

Casso] C. *Cusso.* scr. *Caso.* Bosch. in tabula male *Cassio;* in textu bene.

Venetesque — alto. Et] Desunt in C. et delenda revera videntur.

Fianti] Sic Arch. p. 120.

Levata] A. *Leucata.* Scribendum erat *Levita*, λεβίτα, quae olim Lebinthos, apud Strab. p. 488. T. 2. p. 295. Coray et in notis T. 4, p. 232. Porcac. *Leuta* ex errore typothetae.

a circumstantibus] Codd. sic. *a* isthoc barbarum nostro solemnis soloecismus.

44.

Caloierum] In tabula apud *Walpole* Travels p. 32. *Anti-Chero* nominatur. Idem Caloieri nomen exhibet Tournef. p. 32. Boschini tabulam e nostro delineavit p. 59. Porcac. hic, ut alibi, nostrum vertit p. 79. 80.

circumseptum altissimis] A. *circumspectum in a. r.*

Pag. 101. *immaculata*] A. *illibata.*

indutus] A. *inductus.* Rem item narrat Bosch. p. 58.

navicula] C. *naviculata.*

vocibus altis] Refer ad *ait*, et ad *solus* supple *sum.*

navem nostrorum Gr.] C. *navium n. Gr.*

Sinonem] Virgil. Aen. 2, 195, sqq.

adorabant] C. *adorarent.* Adi *Ruddimann.* T. 2. p. 310. n. 23.

et supellectiles] C. *ac supellectiles.*

45.

Choam] Sic quoque *Niger* p. 442. Bosch. p. 60. *Coo* et ita quoque Porcac. p. 78. Omnino scribendum erat per *Coa*, quum nomen antiquum est *Κῶς*, g. *Κῶ*, acc. *Κῶν*. Hodie Stanco, ᾽ς ἡν *Κῶ.*, et apud Francos Langò. Bosch. l. l. et Meletius p. 489.

Acrem ineptam] A. *acrem neptam.* Barbara haec et mendosa. L. *Hippocratem*, quod ex sequentibus patere videtur.

et languetur] A. *ac languitur.*

acticae] Sic A. et C. — B. *atticae.* Sed minus quadrat, nam e regione fere est urbis *Halicarnas-*

si. Sic sese habet res cum nostro; fidus est omnino in describendis insulis, quas praesens lustraverat; sed ubi mala sorte cum calamo suo in continentem aberrat, pessime labitur fere ubique.

occiduum] A. *occasum.*

Chenia] A. *Chema.* Bosch. *Cechienia.* Male; nam cum C. consentit in tribus nominibus Porcacchus. Pro *Pili* Bosch. male *Pelli.* In voce *Pili* auctor ille anonymus (O. Dapper) libri gallici Description des Isles de l'Archipel. Amsterdam, chez G. Gaillet, 1702. fol. testimonium credit inesse Peleum aliquando in hac habitasse insula; sed unde haec illi nescio.

Peripaton] A. *Peripato* et sic Porcac.

Dicheus] Sic Porcac. C. male *Ditheus.* Bosch. *Cheo.*

exstiterat] C. *exstiterunt.*

Fandim] Porc. *Sfandio.*

Pag. 102. *Cyllipum*] A. *Cilipum.* Bosch. *Colipo;* et pro fonte Sfandano nomen exhibet *Soffodino.*

prorumpit] C. *prorupit.*

Licastis] Porc. *Licasti.* Bosch. *Nicastro.*

Apodomarius] Sic quoque Porc. Bosch. *Apodimia.*

Iuxta — manifestant] Desunt haec in A.

placidum esse dicatur] A. *placitum fore,* et sic quoque B.

Arangea] Sic Porcac. Bosch. *Arange,* sed in tabula item *Arangia.*

arangeae] A. male *Arangia.* *Arangea,* arancia, vox itala, malum aureum, orange.

aedificia Hippocratis] Porc. — „le magnifiche *fabriche* d'Hippocrate."

desiccatur] A. *desiccat.*

Hippocrates] A. B. *Hypocras.* C. *Hyppocrates.*

Sclepionis] A. B. *Scelpionis*, male. Sclepionis per aphaeresin τῦ ᾱ pro Asclepionis. — Pater olim apud Veteres nominatur Heraclides.

Aesculapii] Notanda ignorantia nominum, una et eadem pro diversis ponens.

quod med. extraneis] A. *ut med. extranei.* Legendum si quid in ista video barbarie: *Quod medicinam non extraneis*, etc.

praecepit] A. B. *percepit.*

considerent] C. B. *consederent.*

ergo] C. *igitur.*

Macrobius] in Somn. Scip. l. 1. c. 6. p. 39. ed. Iac. Gronov. „Hippocrates — qui tam fallere quam falli nescit."

Isidorus] Origg. l. 4. c. 3. „Latuitque (medicina) per annos pene quingentos usque ad tempus Artaxerxis, regis Persarum. Tunc eam revocavit ad lucem Hippocrates, Asclepio patre genitus, in insula Coo."

quingentos] A. L[ta], i. e. *quinquaginta*, pessime.

eius] Deest in C.

planities est] Deest *est* in A. Nota Comparativum cum genitivo et cfr. *Ruddimann.* T. 2. p. 105, not. 93. Est Italismus; adisis *Peretti* Grammaire italienne. Paris 1815. p. 108.

Pag. 103. *Cephalo*] A. scriptione itala: *Chephalo.*

non diu est quod] Desunt verba *est quod* in A.

devorans] A. *devorantes.*

strenuus] A. B. *extrenuus.*

percepisset] A. *perciperet*, et C. pro *equum* pessime *equus* — *prostratus.*

qua loquente t. diu] A. *quae* etc.; *diu* deest

in C. In ablativo isto habes Italismum, cum Gerundio. Leg. f[e] *loquendo — narrando.*

vel in octo annis] Deest *in* in A.

transformationem hanc] A. B. *transformatio haec.* Bosch. „Tengono fino al tempo presente per vera questa pazzia, cioè: che la figliola d'Hippocrate li comparisca come se fosse viva: e che li racconti diverse cose.“ — Porcacchus fabulam istam cum illa de Dracone interfecto coniungens, ita: „Non è molti anni, che quì apparve un grandissimo serpente, che devorava gli armenti; et dicevano quei superstitiosi, ch' era la figliuola d'Hippocrate: la quale essendo grandissima maga, anchora sia viva in quella forma. Di lei molte cose degne son raccontate dagli antichi Auttori.“

Plinius] Plinii loci sunt H. n. l. 7. cap. 56. sect. 157, aut T. 1. p. 415. l. 4. ed. Basil. „Oleum et trapetas (monstravit) Aristaeus Atheniensis. Idem mella, etc.“ — l. 14. c. 4. § 6. p. 714. 5. T. 1. de Maroreo vino Thraciae maritimae. — Sed nullum horum locorum ante oculos habere potuit noster confuse Plinium caeco casu laudans. Ceterum de Aristaeo cfr. *Clavier* ad Apollod. Bibl. l. 3. c. 4. n. 10. T. 2. p. 366—68. In insulam Ceam, Ceum venit Aristaeus. V. *Creuzer* Symbolik. Ed. 2[ae]. T. 3. p. 353, 54. T. 4. p. 381.

hic mulieres] A. sine *hic, mulieris.* Potius de insula Lemno haec narrantur Apollod. Bibl. l. 1. c. 9. §. 17; c. not. *Clavier* T. 2. p. 170, n. 80.

enorme] C. *inerme.*

Colchon] Sic Codd. Scribendum erat *Colchin,* hodie Mingrelia. Cellar. l. 3. c. 9. T. 2. p. 360. ed. Schwarz.

Turcum] C. pessime *Curchum.*

multorum aedificiorum] C. *multis aedificiis.*
coram Cypro] Horrendus error. Porcacchus istud *quae* ad insulam ipsam stolide retulit, scribens: „Quest' Isola è contigua all' Asia minore, et è dirimpetto a Cypro."
lanificii] A. *lanifici.* Nostrum male cepit aut aliam secutus est lectionem Porcacc. scribens: — „dicono, che oltra l'essere abondantissima di tutte l'altre, ha havuto anco questo di più, che in essa furon trovate *l'arti delle donne et massimamente quella della lana.*"
Philidis] Sic Codd. Scribendum erat *Philetae.* V. Fuhrmann kleineres Handbuch p. 127. Corruptio ex Iotacismo. — Deest vox *memorabilis* in A.
Sapphonem] Codd. Italismo: *Saffonem.*
Bacchidis] Sic Codd.
Pag. 104. *et ex altero*] Deest *et* in C. F° *Bacchi.*
similem] Codd. *similis.* Adde *Nigrum* p. 443.
insisterent] C. male *resisterent.*
domini] Deest in A.

46.

Calamos] Sic Niger p. 442. Olim *Calymna,* nunc *Calimene,* apud Choiseul, *Calamine* apud Orgiazzi.
olim Claros] Sic Meletius p. 490.
calami] C. *calamos.* καλάμι vox hodiernae Graecitatis. Bosch. p. 62.
altiore ascenderet] C. *a. ascendens.*
Chion] . Habet Bosch.
Palatiam] Hodie *Palatscha,* Turcorum, coram insula Agathonisi, ubi olim *Pyrrha* v. Cellar. p. 85. T. 2. l. 3. c. 3.

certe] C. *certum*.
declinat] C. *inclinat*.
tondentes] A. *tundentes*, male. Est italismus, tondere, carpere, depascere.
sine luporum timore] Eadem Bosch.
devastantes] A. *devastantis*.
caprizare] Codd. *patrizare*. Sed istnd patrissari, in Classicis scriptoribus praeter Terentium Adelph. 4, 2, 25 (v. Westerhovii indicem Ter. s. v.) nusquam obvium, et in aliis posterioribus (v. Du Cang. s. v.) semper significat: patrem imitari, patris mores referre. Ergo scripsi *caprizare*, quod supra Cap. 14. f. eadem verborum structura occurrit.
ab alto] A. *in alto*.
in ea aliud] In C. deest *in*. In A. deest *aliud*. Insulae nomen, cum iisdem fere nostri verbis dat Bosch. *Aiaglià*. et rem Porcacchus habet, p. 78.
Vathi olim] Porcacchus confundens utramque vocem: *Vathiolio*.
Pag. 105. *porti duo*] C. *portus duo*.
a quibus — spelunca] Sic Codd. Fortasse *in quibus*. Post *spelunca* A. male repetit *magna*. Rem dant Bosch. et Porcac.
crescit] C. *eredit*. Idem dat Bosch.

47.

Herro insula] Sic Codd. et Porcac. *Hero*. Male. Lege *Lero*, olim Lerus, *Λέρος*; Niger p. 442. Meletius p. 489. Bosch. p. 64.
ac marmorea] Deest *ac* in A.
lepidus portus] Sic A. adiective; sed C. B. et Porc. *Lepida*, nomine proprio, et sic legendum. Adde *Sibthorp* in Walpole Travels, p. 29.

Ferado sinus] Sic A. et B. — C. male *Feradonisius*. Bosch. *Feraco*.

dicitur] C. *dicetur*. — Videtur ergo noster praesens illam insulam non lustrasse.

reputamus] C. *nominamus*.

Aloë] Idem Bosch. et Porc., ac Meletius l. l.

48.

Pathmos] Sic Codd. scriptione vitiosa, adhuc nostris diebus diebus nonnullis, velut Danvillio in tab. usurpata. Scr. *Patmos*, hodie corrupte *Πάτινο*. Adi Walpole Trav. p. 29. 30. et 43 — 45.

in quam] C. *in qua*. Ioh. Apocal. 1, 9. Bosch. et Porc. ita.

Ephesum] A. *Epheso*. — *Alto loco*. i. e. *Aiasoluk*, s. sanctus Theologus. v. *Mannert* Geogr. T. 6. P. 3. p. 312.

Iohannes] A. *Iohannis*.

Pag. 106. *in quo*] C. *quod*. Rem habent Porc. p. 79. et Bosch. p. 66.

molestiam] C. *notitiam*.

venae metallorum] Ita quoque P. et Bosch.

49.

Dipsim] Sic Codd. Olim *Lepsia*, nunc *Lipso*. Dipso corruptio est Francorum v. Tournef. p. 171; et Bosch. in textu p. 68. Lipso, in tabula p. 69. *Dipso*. *Dipsi* habet Porcac.

insulam] Deest in A.

Dipsi] A. male *Dispsi*. Sed et apud hodiernos semper δίψα per ᾱ, minime per η̄ (δίψη) effertur, ut apud Antiquos voces omnes quae σ̄ habent ante vocalem, velut Μῦσα.

sitis] Sic bene C. et B. — A. *siccus*.
quia sicca] A. *qui s*.
rarescit] C. *caret*.
silvestribus apparet] C. *silvestribus videtur*; A. *silvestris apparet*, et sic B.

50.

Crusiae] *Corassiae* olim dictae, v. Strabonem p. 488 Cas. Mannert T. 6. P. 3. p. 303, plures, ut videtur, insulae istae; nunc Crussiae. Sed ex mente nostri, quod ex Bosch. p. 68. et Porc. patet, scribendum, ut Codd. exhibent: *Crusie* per ē, et de sola accipiendum una Insula.
circumsecta] C. *circumspecta*.
indomitae] A. *domitae*.
vagari] A. *vagare*.
Crusiae] Codd. A. et C. *Crussie*. C. *Crusie*. A. *a Crussie*.
deauratae] *Χρυσίον aurum*. *Χρύσινος aureus*, apud hodiernos. v. Du Cang. s. v. Sed ceterum hic *aliqualis* patet boni nostri graecae linguae *notitia*, qui substantivum pro adject. cepit.

51.

Varro] Unde haec nescio.
Icarea] Scribendum erat Icaria, Ἰκαρία; nunc barbare Nicaria, ἐν Ἰκαρίᾳ.
Icarus] Haec barbara. Vid. potius Niger. p. 439. Mannert T. I. p. 300.
Pag. 107. *cir. mi....*] Numerus deest in Codd. scribe *LX*, secundum Tournef. p. 153; *LXX* secundum Bosch. p. 74; *LXXX* secundum *Melet.* p. 487.

Quo de oriente] Sic Codd. L. *Quae*, etc.
insulae iunctam] C. sine *insulae* dat *coniunctam*. Rem habet Bosch.
in hac] Deest *hac* in C.
cavernulis] A. *caverniculis*. Boschini rem narrat.
et ibi mel] A. *et in ibi in melle*. B. *vitam ibi in melle*.
belli Bacchi] Sic A. Sed B. et C. *album*, etc., quod praestat, et de vino albo accipiendum; verbum *faciunt* de incolis Insulae.
illi accepto] Barbarismus. Sed, si ex Boschinio aliquid coniicere licet, scrib. *melle excepto*, i. e. permutato. Bosch. p. 74. „Nei dirupi che vi sono, le Api vi fanno i sciami in tanta quantità, che l'Isolani con la *permuta di questo miele*, abbondano di quanto è loro necessario." — Lege ergo in nostro: *melle accepto*, nempe ab apibus et permutato, etc.
In quo cacumine] C. *In cuius c.*
duo — oppida] Apud Tournef. p. 154. *Masseria* et *Peramare*.
Fanari dicta est] C. *Fanarium*. A. *dicta erat*. Φανάρι, vox hodierna; v. Tournef. p. 155. Pro *in qua* A. dat *in quam*.

52.

Mandria] Ita Bosch. p. 68. et Porc. Meletius p. 490. *Μινεία, κοινῶς Μανδρία ἢ καὶ Μαρί.* - Hodie in tabulis: *Nacri*.
exstiterat] C. *fuerit*.
est perventa] Sic A. B. Unus C. *pervenit*.
in qua] A. *in quam*.

53.

Agatussa] B. melius *Agatusa*. Scribendum Agathusa; hodie *Agathonisi*, Gatonisi apud Bosch. p. 70.

Pharmacus] A. *Formacus*. Porc. *Farmaco*. Bosch. Fermaco. Olim *Pharmacusa*. Hodie μεγάλη *Κυρά*, et altera μικρὰ *Κυρά*· v. Coray ad Strab. T. 4. p. 176.

flumine Palatiae] Flumen isthoc est Maeander, nunc Mendres. Palatia urbs, nunc Palatscha inde a Choiseul e tabulis evanescit, et, ut videtur, Meletii quoque tempore incerta erat. v. ex. c. Melet. p. 461. 467, ubi nomen antiquum Palatiae *Πριήνη*, turcice *Ἐρέλ* esse ait.

Pag. 108. *meliorem*] A. *miliorem*. *Discedunt* deest in A.

Prima est] *Est* deest in C.

Palatorum] A. *Palatia*; nomen, ut videtur, medii aevi.

reperiuntur] C. *reperitur*.

per insulas] C. *per insulam*.

54.

insulis, Samos insula] Desunt *insula* et *insulis* in A., qui male *Samio* exhibet.

distans] Deest in A.

existimabatur] A. ex Italismo: *extimabatur*. F^e^ *extimabatur* pro *aestimabatur*.

exstabat] C. *existebat*. Rem habet Porcacch. p. 79. Tournef. p. 160.

per diem] i. e. spatio unius diei.

templum Junonis] Tournef. p. 162. Bosch. p. 72. Melet. p. 488.

effigies] A. *effigiem.*
nubes] A. *nube.*
aves illius] A. *aves illas.*
i. e. ignis] A. *i. e. enim soror ignis.* Sed voces *enim soror* punctis deletoriis infra positis, obelo notatae.
exit et nascitur] Desunt *exit et* in A.

Pag. 109. *nympha*] C. *nymphas* — *Nympha* pro *nube*, aqua; disiectum fortasse poëtae membrum.
cum aëre se miscent] C. *in aëre* [sic] *se immiscent.*
quia sibi] Deest *quia* in A. *sibi* pro *ei.*
De hac etiam insula] Voces *etiam insula* desunt in C.
perdiscendum s. motus] Sic Codd. Leg. *motum.*
spectandam] C. *spectandum.* Desunt *est et* in A.
summa scientia] Sic Codd. *Summa* pro acc. plur. neutr. et *scientia* pro abl. accipe, aut scrib. *summam scientiam.*
Polycrates] Codd. *Polycratus.*
Valerius] l. 6. c. 9. ext. §. 5.
Orontis] Sic Valer. l. l. Herodotus autem 3, 120 — 125 *Oroetes.*
Psaram] Sic male scripsi ex infelici coniectura. Codd. A. et C. *Psarum;* B. bene *Persarum. Sardes* venit.
Polycratem] Codd. *Polycratum.*
Medalense] Val. l. l. „in excelsissimo *Mycalensis* montis vertice.“ (Mons Mycalensis in Asia minori positus, e regione *Sami.* v. Melet. p. 489.
in ligno vel cruce] Desunt *ligno vel* in C.
Sibylla quaedam] Codd. *quadam.* Rem habent Bosch. et Porcac. Bosch. *Phebea,* pro *Phemo.*
Persim] Sic Codd. Scribendum erat *Perseum.* Eundem gravem errorem cum nostro, quem exscripsit, errat Porcacchus.

viginti hostium millia intererant] A. *viginti hostium intererant.* C. *v. h. m. interemit.* Desumpta haec ex Livio l. 44, c. 42. sed mirus est error loci.

Tamburlano] i. e. *Tamerlan,* seu *Timur.* v. Herbelot Bibl. or. s. v.

volens vero] A. *volens ergo.*

portabit] C. *capiet.*

Acte] Codd. cum Porc. *Aothe.* Unus C. *Aote.*

Medalensis] A. *Medalens.* Porc. *Meridalo.* Montium tractus olim Ampelos dictus, per antiphrasin, ut lucus a non lucendo, quia vinum haec Insula non facit. v. Mannert. T. 6. P. 3. p. 299. Bosch. Melet. l. l.

et ad occiduum] Deest *et* in C.

55.

Furni] Italis *Forni.* Graecis hodiernis Φοῦρνος, a forno, fourneau. Tournef. p. 170: „Les Grecs se sont imaginés que leurs ports étoient creusés en manière de *fours.*" Olim Μελάνθη, secundum Melet. p. 488.

fuere] C. *fuerunt.*

recursum capiunt] *Recursus,* apud Cangium s. n° 4. *refugium.*

sine refrigerio] Refrigerium, vox itala, refrigerio, rafraîchissement.

Pag. 110. *a partibus Rhodi*] Deest *a* in C. qui dat *e.* Fortasse saepius e Rhodo insula noster fecit itinera per Archipelagum.

nimbosa] A. *nubosa.*

carbaso, in portum] C. *garbaso.* A. *portu.*

promontorium] C. *promontoria.*
potuimus] C. *poteramus.*
cerneremus] A. *cernentes.*
nimbosam] A. *nubosam.*
iam in imum] Desunt *iam in* in C.
diem sine Phoebo] A. omittit *diem*, et pro Phoebo dat *cibo.*
transieramus] C. *transivimus.*
quae fuit] C. *q. erat.*
unde aliqui] C. *ubi aliqui.*
veniremus] C. *venirem*, et modo omisit *iam*, et dat *invenirem.*
spileum] Vox graeca σπήλαιον, spelunca. v. Cretam. p. 10, ubi occurrit haec vox.
dira fame] A. *d. fames.*
Christophorus] A. *Christopherus.*
nostrae salutis] A. *meae salutis.*

56.

Tenosae] Sic quoque Porcac. *Tenosa.* Alii velut Tournef. p. 86. Walpole p. 31. *Stenosa*, ex corruptione. Nomen antiquum nescio.
in ea] pro *in eam.*
Pag. 111. *Valdeque*] C. *percipiuntur valde. Quae.*

57.

Psara] Olim *Psyra*, nunc Ipsara, Ipsera. Melet. p. 486.
piscator] Lingua hodierna ὁ ψαρᾶς, piscator, plur. οἱ ψαράδες; nomen tertiae declinationis. v. David Méthode pour étudier la langue grècque moderne. Paris 1821. p. 20. et Eiusdem Συνοπτικὸς

παραλληλισμός. p. 15. 16. Hic refer vocem ὀψάριον, derivatam ab ὄψον, quod ὀψάριον in N. Test. sensum apud Ioh. Ev. 6, 11. 21, 9. 10. 13. habet eundem atque hodiernum ψάρι, piscis. V. Schleusner et Wahl in Lexx. s. v. De ὄψον cfr. Boissonade ad Diogen. Epist. Notices et Extraits T. 2. P. 2. p. 227. n° 2; et de ὀψάριον eundem ad Herodian. Epimerism. p. 105. n. 1. — Omnino ex Graecitate hodierna plurimam percipere potest utilitatem interpres Novi Testamenti grammaticus, quod mox in Commentatione fusiori calamo demonstrabo. Interim adi Orationem festam meam De ambitu, utilitate et necessitate studii Exegeseos sacrae. p. 17. 18. c. not. 20.

domestica quam plura] A. addit post *plura — dimitteret.* Pessime ortum ex *deveniret.*

Boreas, emissus ab antro] Disiecti poëtae membrum. Virg. Aen. 3, 687.

submergit] C. *submersit.*

et per insulam] Deest *et* in C.

aegas una] Deest *una* in A.

carnes illarum] A. c. *illorum.*

lignis circumpositis] A. *l. circumponitis.*

propere] A. *prope.*

ad tartara mandavere] C. *eos ad unum occidit.* Ad totum caput Bosch. p. 76.

58.

Plinius] l. 5. c. 31. et alibi de hac insula loquitur, sed nunquam barbara haec profert nomina. Adscriptum in A. ab alia manu Plin. h. n. *l. 4. c. 12.*

Syrisior] C. *Scyrisior.* Fortasse corruptio ex Ariusia, vino celeberrima. Strabo p. 645. Cas.

T. 3. p. 20. §. 35. Coray. Adde Cellar. l. 3. c. 2. p. 19. T. 2.

chios, mastix] Isidor. Origg. l. 14. c. 6. Sed commentum esse demonstravit Bochart Geogr. sacra, Chanaan l. 1, c. 9. initio, p. 412. 13. ed. Francof. a. M. 1674. 4°; alia deinde afferens etyma, quae paucis probavit. — *Mastix*, pro mastiche, resina lentina, Germanis mastix, Gallis Mastic. v. Du Cang. s. v.

Et in Aegaeo sita] Deest *et* in C. *sita* in A.

Pag. 112. *passibus*] C. *passuum.*

numeravimus] A. *numeramus.*

chios — praegnans] Sic Codd. legendum chion, κύων a κύω, i. a. κυέω. Sed *Hermann.* de Aesch. Danaid. p. XV. apud *Passow* in Lex. s. v. potius Part. aor. 1. med. κυσαμένη, κυσσαμένη sensu intransitivo pro ἐν γαςρὶ ἔχουσα usurpari ait.

columna] i. e. κίων, vox praesertim homerica, duorum generum.

canis] κύων, κυνός.

Hisifile, Thoantis] A. *Hisifiles, Tofantis.* Scribendum erat *Hypsipyle.*

ipsum] Supple *se.*

Ovidius] Met. l. 8, 174—79. v. not. ad C. 37, p. 195. Adde Melet. p. 487.

Adrianam] V. not. l. l.

longa de trione] C. *longe d. t.*]

Apanomerea] A. *Aponomerea.* v. Porcac. p. 126.

elevata] C. *elevatur.*

Volisso] Sic C. quo cum facit Olivier T. 2. p. 107. A. et Porc. *Valisso.*

Perperea] Deest in C. Tournef. p. 143. *Purperia.* Porc. „*Perparea, Santa Helena,* Menaletto, Vichio, Pitio, Cardamile, Santo Angelo, et Santo Helia."

Pithio] A. *Pitheo;* leg. *Pytios.*
Cardamile] Sic C. — A. *Cardamila.* Male apud Hassel T. 4. P. 2. *Cardamyta.* Deest *cernunt* in A.
enumerant] C. *enumeratur.* Rem praeter Bosch. p. 78, et Porc. habent fusius Tournef. p. 147. Olivier T. 2. p. 129.
diruto] A. *dirupto.*
invenitur deletum] *inveni et deletum.*
ideo posteris] A. *imo p.*
Pag. 113. *Nao*] Sic quoque Porc. C. *Naho.* Fortasse corruptum ex ναρὸ, νερὸ, aqua; mutata η in ε habes etymon Nereidum. v. *Villoison* Recherches crit. sur le Grec vulgaire in Mémoires de l'Acad. d. belles Lettr. T. 38. p. 60 — 73.
minacissima] C. *munitissima.*
portus Cardamilae] v. Tournef. p. 146.
Delphinum] Sic Porc. et Olivier T. 1. p. 130; *alterum* i. e. *portum.*
civitas Chii] A. *c. Chry.*
supra montem] A. *super m.*
Coronatam] Monasterium; ita Porcac.
Laria] Neutr. pro masc. *Lares,* i. e. *domus.* Pro *mare,* C. *maria.*
habiti] C. *habitis.*
Neamoni exstat monasterium] Deest *exstat* in A.; *monasterium* in C. Νέα μόνη, nova solitudo; Tournef. p. 141.
Calogiri] Sic Codd. elementis quibusque e graeco accurate expressis, καλόγηροι. Scriptio vulgaris *Caloieri.*
refocillantur] i. e. *recreantur; refocillare,* vox itala.
ecclesia Coronata Virginis Mariae] Porc. „la Coronata, chiesa consecrata alla Vergine Ma-

dre del Salvatore, devotissima a tutte le genti.“ Haec et quae proxime sequuntur verbo tenus e nostro expressa.

arbuto] i. e. bene arbustosus, ut ita dicam barbare, bene arboribus consitus. arbuto, vox itala. Porc. „ben piantato d'alberi.“

aquam recentissimam emanante] Desunt in C. — A. *emanantem.*

Ad Catomeream] C. *Igitur a Catomerea.*

locutio] C. *narratio.*

arbores lentisci] Supple *habet*, quod Porc. p. 127. praebet. C. *arbore.*

in solo munito] A. *munita.* Ad rem v. Tournef. p. 144, 45. Olivier p. 133 — 36.

Pag. 114. *producere*] A. *perducere.*

arbores non inveniuntur] C. *arbor non invenitur.* Eadem Porc.

devenio Georgium de Sicosi] A. *venio. de Sicosi* deest in C. et in Porc.

per fertilissimum] Deest *per* in C.

reconverti, castrum Recovera] Deest *reconverti* in A. *Recovera* in C. Male. Porc. habet.

ubi — reperitur] Desunt in C., sed habet Porc.

Calamoti] C. *Calamotim.* Porc. *Calamotti.*

Caput Masticis] Hodie Cap Mastic, olim Phanae, Phanaea. Melet. l. l. — C. pessime *Caput in masticis.*

Caloierum dictum] Desunt in A. et in Porc.

Recurro — Pirgi] Deest *recurro* in A. C. *Pigrim*; male. Porc. *Pirgi.* v. Olivier T. 2. p. 107.

in plano oppidum] Deest *oppidum* in A. Pro et ad C. *ubi procul.*

Nastasiam sanctam] Porc. *Anastasia santa.*

Amistae portum] Porc. *Amista*; hodie *Port Mesta*, ubi olim Ariousia. Tournef. p. 143.

et turrim] Desunt in C. A. hic ita: *et turrim in plano. Deinde portum*, etc.

Late] Porc. *Latte.*

Litilimenae] Sic Codd. Porc. *Litimene.*

manifestamus] C. *manifestatur.*

59.

sita est] Deest *est* in C.

quia in hanc Miletum] Desunt verba *in hanc* in C. Eadem Boschini p. 80. Meliora ex Mythicis v. apud Mannert T. 6. P. 3, p. 432—34. Melet. p. 485.

ibi venisse] A. *ibique venisset.*

eoque] A. addit *et eoque.*

surrexerat] Sic Codd. scr. *surrexisse.*

regnassse] A. *regnasset.*

civitas] Deest in A.

Mitilena] Sic Codd. Scribendum *Mytilene. Μυτιλήνη*, non Mitylene nuper docuit *Boissonade* ad Marin. p. 100 et ad Herod. p. 84.

Alcaeus] Codd. *Alceus.* Ad rem v. *Strabon.* p. 617. Cas. T. 2. p. 490, 91. Cor.

Sapphos] Sic Codd. pro *Sappho.*

fuit insula] Deest *insula* in A.

Pag. 115. *Pompeius*] Eadem Porcac. p. 130. Meletius p. 485.

Nicteus] Scrib. *Nycteus.* cfr. Apollod. Bibl. 3. 5, 5. Clavier p. 280.

Amphionem et Zethum Calaimque] A. *Aphionem et Cetum*, et omittit *Calaimque.* C. *Amphionem et Zetum.* Sed scripsi *Zethum*, *Ζῆθον* ex Apollod. Bibl. l. 3. c. 10. §. 1. Clav. p. 328. — *Calaimque* a C. male additum; nam *Zetes* et *Ca-*

lais filii erant Orithyae et Boreae. V. Apollod. l. 3. c. 15. §. 2. p. 390. Clav. Similitudo nominum (Cetes et Zethus) librarium decepit.

Usque hic Castor et Pollux] C. *Usque hic Castorem et Pollucem.* Servavi τὸ *hic.* A. *Polus.*

Cytherea] A. *Cytarea,* eadem scriptura ut supra C. 9. initio.

tempestate maxima exorta] Deest *exorta* in A.

transmutatos] C. *commutatos.* Phrasis ob ablativorum cum nominativo transmutationem impedita. Aut lege *comparuerunt;* aut sequere supra Cod. C. *Castorem et Pollucem.*

commemoramus] A. *connumeramus.*

Paulus, Apostolus] v. Act. Apost. 28, 1. Sed ista insula Melite, erat insula quae nunc Malta, et nunquam cogitatum fuit nec cogitari sana mente potuit de insula Lesbi. Et Apostolus de Palaestina, non *de Syria* veniebat, etsi hoc premere nolim, quum Syria fortasse apud nostrum, continentis terrae omnino ignarum, generale est nomen. De Melite v. *Winer* bibl. Realwörterbuch s. v. et *Kuinoel* in Commentar. ad loc.

anguem] Act. c. l. v. 3—6.

per totum] C. *per omnem.*

Mitylena] cfr. Mannert T. l. p. 439—41.

exstiterat] A. *existebat.*

reducta] A. *redacta.*

Caloierus equidem] Sic Codd. pro *quidem.*

civitatisque domini] C. *civitatis dominique.*

desolationem urbis] Deest *urbis* in A.

Quam non etc.] Ex A. servavi *Quam,* ceterum pessime: *dominumque suos ac multitudinem.*

a terrae motu] Deest *a* in C.

meis itaque] Deest *itaque* in C.

turri s. m. suam] Pro *turri* C. dat *domo*. *Suam* pro *eius*.

faciunt ascensum] A. *fuit ascensus*.

quaesita fuit restauratio] A. *quaesita restauratione*.

turris] C. *domus*.

sustinuit] C. *subierunt*.

quatuor columnae] Deest *quatuor* in A. Bene; nam delendum et mihi erat. Rem habent Bosch. p. 80. et Porcac. p. 129, qui nostrum nominatim laudat.

mirae industriae] C. *mira industria*.

gulphus Hieremiae] Porc. *Golfo di Gieremia*. κόλπος, hod. κόλφος, italice golfo, gall. golfe.

Pag. 116. *Castel Gera*] Porc. *Castel Gero*.

Caloni] Ita Porc. Meletius l. l. Καλλόνη.

Vasilica] Ex Iotacismo τοῦ *B*.

Castel Molino] Olivier T. 2. p. 87. scribit Molivo, per v. et in loco veteris Methymnae positum ait. — C. *Mulgho*; Porc. quoque *Mulgo*.

Castel Angerino, *Castel Parrachila*] Desunt in C. et apud Porc.

pinetisque manifestantur] Deest *pinetisque* in A. *manifestantur* in C.

Est denique] C. *Et denique*.

Turciam conterminatur] C. *determinatur*. Ex his videre est litus totum Asiae minoris insulis his adiacens, tum temporis in manibus fuisse Turcorum.

Nomen hodiernum apud Francos insulae Lesbi est *Metelin*, seu *Metellino*, et nomen insulae *Chii* est *Scio*, „pronunciata con la penultima acuta," ut ait Porcac. p. 125.

60.

Tenedi] C. *Tenedos.*

stricti Romaniae] Strictum, stretto, détroit. v. Du Cange s.v.

iuvene] Iuveni nomen erat *Tennes.* Vide meliora apud Tournef. p. 151. Melet. p. 484.

Laomedontis] Codd. *Laumedontis.*

Graeci] v. Virgil. Aen. 2, 21. sq.

Troia deleta est] C. *T. d. fuit.*

bellum atrox] Codd. *b. atroce.*

nullus in ea audet habitare] Ergo Turci eam nondum habuisse videntur, quod ergo Mannerto contradicit qui annum occupationis insulae per Turcos 1302 refert. Sed anceps erat tum temporis Martis fortuna.

domestica multa] A. addit *et*, male.

fons est] Rem habet Porcac. p. 79.

videtur esse] A. *videtur habere.* Et mox pro *autem* dat *itaque.*

Pag. 117. *circumdata*] Sic Codd. F[e] *circumdari.* Pro *nisi unus* — C. *praeter unum qui.*

in mare summerserant] C. *mari summerserunt.* Nimis eleganter, nam noster constructionis illius Plusquamperfecti pro Perfecto cum Conj. *postquam*, barbare omnino tenacissimus.

concilii Constantiae] Ergo 1414—18. Rem verbo tangit Meletius. l. l.

A laeva denique in Hellespontum intramus mare] C. *A laeva vero Hellesp. i. m.* In A. deest *mare.*

ore stenuo] *stenuus* ab italo stenuare, pro tenuis, quod nunc Itali stretto.

In quo introitu Dardanellum offendimus] Deest *introitu* in C.; A. *ostendimus.*

61.

fore arbitror] Deest *arbitror* in A.
demonstrare paremus] Deest *paremus* in C.
inspecturis] A. *inspecturi.* C. *insperusque.*
stenuo ore] C. *strenuo ore;* sed v. quae modo dixi.
Gallipoli] A. *Gallipolim.*
dirimitur] A. *dirimit.*
quae propinquior Asiae fuisse numeramus] A. et B. *q. pr. Asia f. n.* C. *q. proprior Asiae f. memoravi.* Sed scrib. erat *quam propinquiorem,* etc.
usque Abydon parva restat] A. *Abido.* C. *exstat.*
Xerxes] A. Italismo, *Xerses.*
sub navibus] f^e^ *super n.*
Demosthenes] Ubi?
Pag. 118. *fugere coëgit*] Sed deest Nominativus subj. f^e^ *Necessitas,* aut *adversa Fortuna* vel simile quid. — A. *coepit.*
Lucius] Sic Codd. sed l. *Livius* et v. ipsum l. 31. c. 16 — 19.
Philippo] Sic Codd. Scribendum erat: *Quod cum Philippus, rex, Abydenos oppugnans, ad destructionem iam murorum venisset.* Deest quidem *et* ante *destructionem* in C.
cives — volentes — capitaneus — eos] Verborum structura cum Abl. isto absol. tota est itala. *A* male *capitaneos.* Capitaneus i. a. capitanus, dux, capitano, capitaine, v. Du Cang. s. v.
et domibus] A. *ex domibus.*
occisionem] Codd. *ad occisionem,* tum *accepturi* sensu passivo esset capiendum, quod horridum.
XL. mi.] A. *XL. millia.* Scrib. plenius milliaria. Modo *disterminium* vox est itala, a *disterminare, exterminer,* pessumdare.

sponte — Imperator Graeciae] Solyman, Orcani filius eam cepit a. 1357. sub imperio Ioannis Palaeologi. v. Tournef. p. 177. Olivier T. 2. p. 23. Meletius p. 421. Ergo non *sponte tradidit.*

usque in hodiernum] C. addit *diem.*

strenuissimi] A. *extrenuissimi.*

Morathbey merito dicitur] C. *Morathei merito dicetur.* Est, ni fallor, Amurat I.; hic aphaeresis τοῦ ἀ. v. Tournef. p. 178. Melet. l. l.

reus — conducitur] A. *reum — conducit.* Mox *lac* deest in A.

Morato] A. *Amorato,* et ita mox infra statim.

Monachi vero] A. *m. ergo.*

Pag. 119. *dum — comperit*] C. *comperiit.*

coram eo de] i. e. coram Morato. A. *coram Deo dei*

Morato] C. *Amorato,* ut supra.

sibi consignavit] *sibi* pro *ei.*

non fore factum] Supple *arbitror,* ut in initio huius Capitis.

62.

Marmora] Sic Codd. Scrib. *Marmara.* Olim Neuris, Proconnesus, Elaphonnesus, a cervis. Olivier T. 2. p. 21. Melet. p. 441.

arborosa Zapinorum] C. *arbora Z.* Leg. *Zampinorum;* zampino Italis, Populus tremula, Peuplier tremble. Linnaei Spec. 1464.

Constantinus] A. *Constatinus.*

Constantinopoli] C. *Constantinopoleos.*

Hellespontum mare] Deest *mare* in A.

Helles] Sic Codd. pro *Helle.* Apollod. Bibl. L 1, c. 9. §. 1. p. 60. Clavier.

fratre, insidias fugiens] C. *fratre* non habet, et exhibet *insidias fugientes,* A. *fugiente.*

has in undas decidit] Deest *has* in C. A. *cecidit.*

pontum — postea Hellespontum] Sic Codd. pro Pontus — Hellespontus, πόντος. Deest *postea* in A.

ab Erythraeo litore] Mirus error; de Erythris, Ioniae urbe, Chium versus v. Cellar. l. 3. c. 3. T. 2. p. 72. 73. Potius exspectes *a Sigaeo litore.*

63.

Pag. 120. *Urbem*] i. e. Polis, Constantinopolis.

Calonimon] A. *Calanimon.* Scribendum erat *Calolimnon*, quae olim Besbicos Oliv. T. 2. p. 20. Melet. p. 441.

redacta est et] Desunt *est et* in A.

64.

Polim] Polis pro Constantinopoli sensu eminentiori sic dicta ut olim ἄϛυ pro Athenis, et *urbs* apud Romanos.

vicinae — permanent] A. *vicineae.* C. *remanent.* Sunt hae quae dicuntur Principum Insulae, Δαιμοννῆσοι, Insulae Beatorum, de quibus adi Melet. l. l. et praes. *Hammer* Constantinopel u. der Bosporus. Pesth. 1822. T. 2. p. 358 — 78.

per omnia] C. *per omnem.*

Comedia] Sic Codd. pro *Nicomedia.* Mannert T. 1. p. 580.

ense aureato] C. *ense deaurato.*

Nicaeam] Hodie *Isnik*, εἰς Νικαίαν. Mannert T. 1. p. 569.

Bursiam] Bursa, Bursia, corruptum ex Prusa, Brussa. Mannert T. 1. p. 555—557.

imperator — resedit] v. Tournefort T. 2. p. 190, 91.

65.

Pag. 121. In commentanda hac Urbis Constantinopoleos descriptione ita sum versatus, ut *primum* exhibeam Lectori *Cangii* v. s. notas omnes integras, desumptas e Notis in Ioh. Cinnami de Rebus gestis a Ioh. et Manuele Comnenis lib. VI. gr.—lat. cum notis Car. Dufresne du Cange. Parisiis, typis regiis, 1670. fol. ubi p. 179—181. textus huius fragmenti libri nostri, et p. 182—187. notae amplissimae typis excusae prostant. Et huic amplissimo Commentario nihil ego e penuria mea addidi nisi passim excitationes libri doctissimi eiusdem Cangii (Constantinopolis christiana) quam sub siglo *C. P. chr.* laudavi, itemque collationes quasdam e libro Hammeri, modo p. 223, ad Cap. 64. laudato, sub siglo *Hammer C. P.* Sed tenuia ea quae adspersi littera *S* a Cangianis discrevi et uncinis inclusi.

Secundo loco autem post Cangii notas in *res* damus Varietatem lectionis e Codd. quos conferre potuimus, et ita Commentarium realem sequentur *Criticae* annotationes.

CA-

CAROLI DU FRESNE D. DU CANGE p. 182.

NOTAE

IN DESCRIPTIONEM

CONSTANTINOPOLEOS.

Titulus libri sic concipitur: *Incipit liber insularum Archipelagi editus per Presbyterum Christophorum de Bondelmontibus de Florentia, quem misit de civitate Rhodi Romam Domino Iordano Cardinali, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo-secundo.* Ex hoc libro pleraque hausit quae habet de insulis Archipelagi Thomas *Porcacchus* Aretinus, etsi autoris nomen ignotum sibi fuisse scribat, ut testatur in operis, quod de Insulis [l'Isole piu famose del mondo. Venezia. fol. 1576. 1590. fol. c. nuova aggiunta. 1605. fol. cfr. *Tiraboschi* Stor. d. Lett. ital. T. 7. P. 2. p. 169. Adi Praef. n. *S.*] orbis inscripsit, proëmio.

Indicium lugentium.] Sic in MS. forte, *Iudicium legentium.* [Sic equidem legi in Codd. *S.*]

A Constantino dicta] *Senator: Pacatiano et Hilariano Coss. civitas quae prius Byzantium dicta est, nunc mutato nomine a Constantino Constantinopolis dicta.* Paulus *Orosius* l. 7. c. 28. *De Constantino. Urbem nomine suo Romanorum regum, vel primus, vel solus instituit. Eutropius* l. 10. *Primusque urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romae aemulam faceret.* Vide *Alypium* Antioch. in Geogr. c. 32. et Scriptores Byzantinos. [add. C. P. christiana. l. 1. c. 5. *S*]

Ecclesiis] Vide *Fulcher.* Carnot. l. 1. Hist. Hier. c. 4. *Guillel.* Tyr. l. 20. c. 26. Beniaminum, Albericum et alios a nobis laudatos in Not. ad Villhard. N. 66.

Prodromo] An *Hippodromo* vel templo aliquo; quod in D. Ioanni τῦ *Προδρόμου* nomen erexerit Iustinianus, aut de novo instauraverit, cuiusmodi fuit illud quod in Hebdomo extitit, de quo Procopius l. 1. de Aedif. c. 8.

Triangulata] Willel. Tyr. l. 2. c. 7. de Cpoli: *Formam habens trianguli, trium inaequalium laterum*, etc. vide Geogr. *Nubiens.* pag. 235. *Monstrelletum* 3. vol. p. 59. Itinerar D. de *Breves*, *Theuetum*, etc. [add. *Hammer.* C. P. T. 1. p. 59. *S.*]

Angulo S. Demetrii] Vide Notas ad Alexiadis p. 361. [C. P. chr. l. 4. c. 6. n. 33. *S.*]

Angulus Vlachernae] De Blachernarum, Aedisque Deiparae eiusdem appellationis situ, passim scriptores Byzantini, praesertim Gillius l. 1. c. 16. et l. 4. c. 5. Nos etiam quaedam ad Villhard. N. 85. [C. P. chr. l. 4. c. 2. p. 83. 84. Hammer. T. 1. p. 454, sq. *S.*]

Criseam Portam] Quae *Χρυσῆ πόρτη* scriptoribus Byzantinis, de qua multa diximus ad eumdem Villhard. N. 129. [C. P. chr. l. 1. c. 15. n. 16. *Hammer* T. 1. p. 110, sq. *S.*]

Antemurali] Vide notata ad Villhard. N. 89. et ad Alexiadem p. 54.

Aquarum surgentium] Scaturientium. *Porcacchus*, [p. 132. *S.*] e questa parte ha un muro doppio, cioè muro, et antemurale, et co 'l fosso pien d'aqua, che risorge, et rende il luogo fortissimo.

Vlanga] Locus ubi olim extitit domus Andronici tyranni. *Nicetas* in Man. l. 4. N. 2. *καὶ παρὰ δόξαν Ἀνδρόνικος εἰς τὸν οἰκεῖον οἶκον παρελθὼν ὃς τῦ Βλάγγα ἐπικέκληται.* Meminit vero portus ad Blancam *Pachymeres* l. 5. c. 10. *Τὸ περὶ τὸν Βλάγκα κοντόσκαλον ἀνοικοδομεῖν ἤθελεν.* Adde *Ducam* c. 39. p. 159. [C. P. chr. l. 1. c. 19. n. 4. Hammer T. 1. p. 122, sq. he Vlanga Bostan. *S.*]

Ubi Graeci] Eadem habet *Porcacchus.* Rem vero narrat *Nicetas* in Man. l. 1. N. 5. Adde *Petr. Cluniac.* l. 6. epist. 16. [*Hammer* T. 1. p. 125. not. ubi nostri nomen male Bondelmont et p. 560. male Bondelmond scribitur. *S.*]

Condoscali] Contoscalium, nihil aliud est quam parva scala; *κοντὸν* enim Graecis *parvum* sonat. Contoscalium igitur *νεώριον* fuit supra mare Propontidis, cujus situm discimus ex porta quae etiamnum hodie a Neorio, cui ad-

haeret, nomen sumpsit, et Porta Contoscalii dicitur. Etenim ipsa porta, ut ait *Leunclavius* in Pand. N. 200. velut intra sinum quemdam abscedit versus urbem et ab altera parte proximum sibi portum habet pro triremibus in mare se porrigentem, et muro circumdatum. Contoscalii meminit *Pachymeres* l. 5. c. 10. *Cantacuzenus* l. 4. c. 11. *Phranzes* l. 3. c. 11., et *Codinus* in Orig. p. 54. editionis regiae. [C. P. chr. l. l. Hammer l. l. *S.*]

Arsena] *Sanutus* l. 2. part. 4. c. 12. ait *Arsenam vulgariter vocari locum, ubi conservatur navigium. Sansovinus* in Venetia l. 8. dictam vult quasi *arcem Senatus.* Sed an vere, alii iudicent: [Hammer T. 1. p. 124. C. P. chr. l. 2. c. 9. n. 20. *S.*] *Arsenalem* Cpolitanum extruxit Theophilus imp. Michaelis filius, uti docet inscriptio, quam habet *Theuetus* l. 19. Cosmogr. c. 5. et ex eo *Gruterus* p. 169, 3.

Justiniani palatium] De quo nos fuse ad Villhard. N. 85. [C. P. chr. l. 2. c. 4. totum. Hammer T. 1. p. 194. sq. *S.*] p. 183.

Ecclesia Enea] Aedes τῶν ἐννέα ταγμάτων, *novem ordinum angelorum,* de qua *Scylitzes* pag. 808. *Zonaras* p. 214. *Cantacuzen.* l. 3. c. 88. Ab hac aede porta urbis vicina, Ἀσωμάτων, dicta eidem *Cantacuzeno* lib. 1. c. 53. [C. P. chr. l. 4. c. 15. n. 35. *S.*]

Speculum] Turris forte *ad speculandum hostes de longe;* confecta, seu Porticus, Πεντακύργιον Palatium, antea *Magnaura* appellatum, ut autor est *Scylitzes* p. 513. de quo passim scriptores Byzantini. Extitit porro *Pentapyrgium* haud procul a Iustiniani palatio, ad caput freti Syceni. Vix enim putem Bondelmontium hocce vocabulo indicasse publicum balneum, cui Κάτοπτρον nomen fuit, a Constantino aedificatum, de quo *Codinus* in Orig. Certe *Speculi,* loci ita dicti versus C.P. meminit alicubi *Alberieus* in Chronico. (ex Addendis; p. 598.)

Portula Imperatoris] Eadem forte, quae vicina fuit Aedi Deiparae Ὁδηγητρίας, et inde μικρὰ πύλη τῆς Ὁδηγητριάς dicitur *Ducae* c. 11. et 39. qui eam diserte statuit inter Acropolim et magnum Palatium. Aut potius ea Porta, quae Βασιλικὴ nuncupatur ab eodem *Duca* c. 38. p. 155. et 166. et *Pachymere* l. 12. c. 15. l. 13. c. 8. Maritima nempe, per quam Imperator ex Palatio ad mare navem ingres-

surus descendebat. Describitur illa a Tyrio l. 20. c. 25. Adde *Annam* p. 443.

Immenso Palatio] *Magnum Palatium* intelligit, quod *Constantinianum* appellat *Tyrius*. Vide Notas ad Villhard. 123. et ad Annam. p. 66.

Via Columnarum] Forum intelligitur, quod *Augustaeum* vocabant, et Columnis cingebatur. *Procop.* l. 1. de Aedif. Iust. *ἔϛι δὲ ἡ ἀγορὰ πρὸ τῶν Βασιλείων περίϛυλος, Αὐγουϛαῖον καλοῦσι τὴν ἀγορὰν οἱ Βυζάντιοι.* Alibi e regione senatus Augustaeum statuit. In 4 regione, Vetus Urbis descriptio. Denique vicinum fuisse Magnae Ecclesiae colligitur ex incendio, quo conflagravit in seditione Victoriatorum, apud *Chronicum Alexandr.* p. 778. et *Cedrenum* p. 369. Sed et *Nicetas* in Alex. Man. F. n. 6. et *Codinus* de Offic. Aulae C. P. c. 17. n. 10. Tradunt vestibula Magnae Ecclesiae in Augustaeo extitisse: unde *προαύλιον τȣ̃ μεγάλου ναȣ̃* dicitur *Zonarae* p. 52. dum Iustinianaeam statuam describit, quam in vestibulo Magnae Ecclesiae extitisse constat, atque adeo in ipso Augustaeo, unde Cedrenus p. 374. Augustaeonis nomen ipsi statuae tribuit. Porro Augustaeum a Constantino M. extructum scribunt *Hesychius Milesius* et *Chronicon Alexandrinum.* Portis vero forum ipsum clausum fuisse, *Nicetas* loco citato, et *Codinus* in Orig. C. P. commemorant. Scripsit Georgius *Pachymeres* *Ἔκφρασιν τȣ̃ Αὐγουϛαιῶνος*, quae extat in Biblioth. Regia. V. *Gyll.* in C. P. l. 2, c. 17.

800 Clericorum] Vide Leg. 3. c. de Sacros. Eccles. Novell. 3. c. 1. §. 1. et Nov. 16. ubi de numero Clericorum Maioris Ecclesiae sub Iustiniano.

Nunc autem sola Testudo] Augerius *Busbequius* in Itin. C. P. de aede Sophiana: *Est ea sane moles magnifica et digna quae spectetur, maximo cum fornice sive hemispherio in medio, quod a solo impluvio lumen habet. Sunt qui fuisse multo maius; multisque appendicibus late se extendisse, easque iampridem recisas omnes et adyta sola, quodque fuit in Templo medium remansisse asserant.* Similia habet ex Graeculorum relatione D de *Breves* in Itin. sed haec mera esse eorum figmenta norunt, qui Byzantinam Historiam vel leviter attigere.

Usque ad pavimentum] Vide *Euagrium* l. 4, c. 29. et *Gyllium* in C. P. l. 2, c. 3 et 4.

Columna] Describitur Iustinianaea ista columna et statua a *Procopio* l. 1. de Aedif. Iust. *Nicephoro Gregora* l. 7. p. 193 et 194. *Zonara* p. 52. *Cedreno* p. 734. *Suida* in Iustiniano, *Codino* in Orig. C. P. *Manuele Chrysolora* p. 121. *Gulielmo de Baldenzeel* in Hodoepor. ad terram sanctam p. 103. etc. Illius etiam meminit *Nicephorus Callist.* in Prooemio p. 16. *Tzetzes*, etc. Ut vero a Turcis, non modo statua, sed et columna eversa fuerit, narrat *Gyllius* in C. P. l. 2. c. 17.

Hippodromus] Hippodromum Cpolitanum a Severo inchoatum absolvit Constantinus M. uti scribunt *Zozimus* l. 2. *Hesych. Milesius, Cedrenus* p. 252. *Glycas, Codinus* in Orig. et alii passim. Describitur a *Gyllio* l. 2. c. 11. et a *Theueto* l. 19. Cosmogr. c. 3. [Hammer T. 1. p. 128, sq. *S.*]

Iustrabant] Ex Italico „*giostrare.*" Gallis *jouster.*

Cisterna optimae aquae] Nam cum area Hippodromi inaequalis esset, et versus Sphendonem declivis, Constantinus M. ut locum planum redderet, in loco declivi cisternam aedificavit, columnis variis sustentatam. Ita *Codinus* in Orig. C. P.

XXIV. erant altissimae columnae] Quae describuntur a *Gyllio* l. 2. c. 13.

Ubi Imperator] Quoties ludos Circenses spectabat Imperator, in tribunali sedebat, quod *Chronico Alexand.* p. 60. 762 et 787. *κάθισμα τῦ ἱππικῦ*, et *κάθισμα Βασιλικὸν* et *δεσποτικὸν* appellatur. *Procop.* l. 1. de bello Pers. *κάθηται δὲ εἰς τὸν βασίλειον θρόνον, ὅθεν ὁ βασιλεὺς εἰώθει τόν τε ἱππικὸν καὶ γυμνικὸν θεᾶσθαι ἀγῶνα.* Mox Tribunal istud Porticui Venetorum proximum fuisse innuit: *ἐπειδὴ περὶ τὴν Βενέτειον ἐγεγόνει ςοὰν, ἣ τῦ βασιλέως θρόνου ἐν δεξιᾷ ἐςίν.* Illud de novo instauravit Iustinianus A. 1. *Marcellinus Comes: Anno Regiae urbis conditae* 198. *regium vestibulum, priscumque in eo solium ob aspicienda probandaque in Circo certamina structum, Victor Iustinianus Princeps eminentius, clariusque quam antea fuerat, et utramque Senatorum ex more spectantium Porticum solita magnanimitate redintegravit.* Sic autem illud Iustiniani solium describitur a *Corippo* l. 2. de laudibus Iustini:

Utque salutato tetigit subsellia vulgo,
Auratum scandens solium sedemque paternam,

Constructam plumis, pulchrisque tapetibus altam,
Aspexit laetus populos, etc.

Ad illud aditus patebat per portam, quam *Chronicon Alexandr.* p. 784. *Μονόπορτον* vocat. Vide *Lambecium* ad *Codinum* p. 147.

Ecclesia] Quae ista fuerit, haud constat. Tres porro S. Sophiae adiunctas Aedes sacras memorant Scriptores, Deiparae a Verina Augusta extructam, Theodori a Sphoratio et Irenes, de qua nos infra. V. Iustinianum Nov. 3, c. 3. Porro Sophiani templi muris proximum fuisse ait Hippodromum *Beniaminus Tudelensis*, ut et caeteri Scriptores Byzantini.

Summus Balneus] Zeuxippus, balneum publicum, quod adiunctum Hippodromo fuisse scribit *Suidas* in Severo: Palatio, *Sozomenus* l. 3, c. 8. De *Zeuxippo* passim Scriptores.

Agulia] Ex Italico *Aguglia*. Obeliscus C. P. de quo fuse egimus ad pag. 493. Alexiad.

Tres aeneos serpentes] Vide *Theuetum* loco citato, et *Busbequium* in Itin. C. P. pag. 41. edit. Plantin.

Diebus Iustantium] i. in quibus fiebant Equestres ludi.

Ex multis lapidibus Agulia] Colossus structilis obelisco excelsior, in medio Hippodromo, ex lapidibus quadratis factus, qui describitur a *Gillio* l. 2. c. 12.

p. 184. *Quatuor humiles columnae*] Locus inde, ubi illae erant *Τετρακίων* dictus *Theophani* A. 5. *Phocae*, Chr. 607. *Quatuor Columnae*, *Anastasio* in Hist. Eccles. p. 87. et *Diacono* lib. 17. Hist. misc. p. 527.

Theodosius] Atqui neuter Theodosius in Hippodromo quidquam extruxisse aut confecisse legitur, si bene memini.

Columna Iustiniani] Quae extitit in Augustaeo.

Secunda Crucis] An ea, quae extitit iuxta Aedem XL. Martyrum, a Phoca A. 7. erecta, cui Heraclius Imp. crucem imposuit? *Columnae Crucis* meminit *Ducas* cap. 39. pag. 162. 163. Hodie *columna cremata* appellatur, quod incendiis tota deformata sit, inquit *Bulialdus*. *Codinus* in Orig. C. P. pag. 25. 27. 36. aliquot columnas enumerat, quibus cruces superimpositae erant. V. Not. ad pag. 52. Alexiad.

Equi quatuor aenei aurati] *Gillius* l. 2. c. 13. *Antequam Galli et Veneti cepissent Cpolim, extabant in Hippodromo cum alii permulti equi lapidei et aerei, tum quatuor*

inaurati mira arte elaborati, quales hodie extant supra vestibulum aedis Marcianae Venetiae, quos deportatos aiunt ex Cpoli.

Tertiaque] Vide iter C. P. Augerii *Busbequii* p. 41. edit. Plantini, et Notas ad Villhard. 163.

In medio Polis] *Πόλεως, urbis.* Ita enim C. P. vocabant Graeci istius aevi, unde hodierna urbis appellatio, *Stambol,* pro ʼςὰν πόλιν, seu εἰς τὴν πόλιν, quod qui in urbem proficiscebantur, cum rogarentur, quo irent, responderent, *ςὰν πόλιν, in Urbem.*

Eccles. SS. Apostolorum] De hac aede egimus ad Villhard N. 138. De ea etiam multis *Gillius* l. 4, c. 2.

Quinta cum angelo aeneo] Vide Codinum in Origin. p. 16.

Sepulchra Imperatorum] Vide Notas ad Villhard. 138.

Constantini immenso] Autor est *Eusebius* l. 4. De vita Constantini, ipsum Constantinum in aede Apostolorum sepulchrum sibi extruxisse medium inter duodecim Apostolorum monumenta, ὡς ἂν καὶ μετὰ τελευτὴν ἀξιῷτο τῶν ἐνταυθοῖ μελλουσῶν ἐπὶ τιμῇ τῶν Αποςόλων συντελεῖσθαι ἐυχῶν. Idipsum tradunt *Socrates* l. 1. c. ult. *Sozomenus* l. 2. c. ult. *Procop. Chronic. Alexandr. Theophanes, Alexand. Monach.* de inventione S. Crucis, *Zonaras* et alii, qui in templo sepultum a Constantio filio narrant. Addunt Euseb. Socrates, Alexander Monach. et Autor vitae Constantini M. et Helenae matris apud *Gretzer.* Tom. 3. de Cruce p. 1721. depositum Constantini corpus ἐν λάρνακι χρυσέᾳ, seu locello aureo, Nicomedia, ubi extinctus est, C. P. detulisse milites posteaque a Constantino in Aedem SS. Apostolorum illatum et in monumento Porphyretico depositum una cum matris Helenae corpore. *Cedrenus:* καὶ ἀπετέθη ἐν λάρνακι πορφυρᾶ, ἤτοι Ῥωμαίῳ, αὐτός τε καὶ ἡ μήτηρ Ἑλένη. Ita etiam *Nicephorus Callist.* l. 8. c. 55. et Autor. Hist. Miscellae l. 11. Scribit *Gyllius* in Cpoli l. 4. c. 2. sua aetate secundum viam latam, quae tendit per dorsum promontorii ab aede Sophiae ad portam Adrianopolitanam, prope locum ubi fuit templum Apostolorum, extitisse solium ex porphyretico marmore factum, sed vacuum, et carens operculo, longum 10. pedes, altum 5. pedes et semissem, quod Graeci et Turci dicebant esse Ma-

gni Constantini. At *Zonaras* non in ipso Apostolorum templo extitisse illud sepulchrum narrat, sed ἐν ἰδιαζούσῃ μὲν σοι ςοᾷ, ἣν ἐπὶ τῇ ταφῇ τοῦ πατρὸς αὐτὸς (Constantius) ᾠκοδόμησεν. Inde in aedem Acacii Constantini corpus transtulerat Macedonius Patriarcha, qui eo facto Constantii indignationem incurrens, dignitate privatus est. Sed non multo post in pristinum locum relatum est, uti narrat idem *Zonaras*. Verum, cuiusvis materiae fuerit istud Constantini sepulchrum, id constat fuisse variis ornamentis aureis circumpositis insigne, quae a furibus ablata esse Alexio Angelo imperante narrat *Nicetas* in vita Alexii, l. 1. n. 8. Ad illud procedere solitum Imperatorem die D. Constantino festo, qui est 21. Maii, scribit *Codinus* de Offic. Aulae. C. P. c. 15. Meminit etiam Constantinianaei monumenti *Manuel Chrysoloras* in epist. ad Ioann. Imp. p. 121.

Columna ubi Christus] Tradit Martinus *Crusius* in Notis ad Malaxum, extitisse aetate sua, in Ecclesia Patriarchali, quam τῆ Παμμακαρίςυ fuisse ait, Columnam ad quam Christus flagellatus dicitur: Aedis vero τῆς Παμμακαρίςυ, mentio est apud *Cantacuzenum* l. 3. c. 80. *Pachymeres* l. 10, c. 9. *Ducam* c. 22. *Malaxam*, Hist. Politicam, etc. De hacce columna agunt pluribus *Gretzerus* Tom. 1. de Cruce. l. 1. c. 96. et *Ferrandus* l. 1. Disquisit. Reliq. c. 2. p. 76. et seq.

Pandocratoris] De hac aede vide Notas ad Cinnami l. 1.

Lapis ubi Ioseph] Ut in aedem Pantocratoris Epheso translatus sit, narrant *Nicetas* in Man. l. 7. N. 7. et *Cinnamus* l. 6.

S. Ioannis de Petra] V. Notas ad Alexiadis p. 54.

Vestimenta Christi] V. *Ferrandum* l. 1. Disquisit. Reliq. l. 1, c. 2.

Arundo] V. *Tyrium* l. 20. c. 25. et Ducam c. 41. p. 172.

Spongia] Illata in urbem anno 4. Heraclii, 14. Sept. Ind. 3. *Chron.* Alexandr. p. 880. Vide Will. *Tyrium* l. 20, c. 25. *Ducam* c. 41. p. 172. 40, 3. Histor. Franc. p. 343.

Lancea] Qua latus Domini aperuit Longinus, Hierosolymis allata in urbem, et in Magna Ecclesia reposita 28. Oct. A. 4. Heraclii. Chron. Alexandr. p. 882. V. Not. ad Alexiadis p. 242 et 326.

Vegetum] Italis „*veggia*,“ est modius vini. *Veges*, Scri-

ptoribus aliquot aevi inferioris, qua voce utuntur *Domnizo* l. 1. de vita Mathild. comit. c. 13. Vita S. Ioannis Traguriensis Episcopi a Io. Lucio Romae edita, et Vita S. Andreae de Galerannis. (ex. Add. p. 598.)

Cisterna S. Ioannis de Petra] A Manuele Imperatore extructa, ut autor est Cinnamus l. 6. [Hammer T. 1. p. 560. *S.*]

Cisterna Pandepopti] De hac cisterna silent scriptores, Aedis vero τῦ Παντεπόπτυ mentio non semel occurrit. Ab Anna Ducaena Alexii Imperatoris matre extructum hocce monasterium scribunt *Zonaras* et *Glycas*, et cum a rerum administratione sese abdicasset, in illud secessisse ibique reliquum vitae exegisse. Neque tantum virorum fuit, sed et feminarum: in illud relegatos Theodosium Patriarcham C. P. Alexio Manuelis filio imperante et Lapardam quemdam, qui sub Andronico Tyrannidem invaserat, scribit *Nicetas* in Alexio. N. 8. et in Andronico l. 1. N. 1. qui illud procul a Sophiana Aede dissitum fuisse ait. Idem in Murtzuphlo N. 2. in colle aedificatum tradit. Meminit Monasterii τῦ σωτῆρος Παντεπόπτυ Cpoli *Pachymeres* l. 4, c. 28. et *Bessarion* in opuscul. de Process. Spirit. S. ad Alexium Lascarim Philanthrop.

Cisterna Apostolorum] Scribit *Gyllius* l. 4, c. 2. Aedis Apostolorum nulla restare hodie vestigia, ac ne fundamentorum quidem, *nisi fundamenta quaedam cisternae, quae aquam suppeditabat Aedi Apostolicae, in cuius quidem Cisternae solo sunt officinae et tabernae Ephippiorum circiter ducentae.* Eadem forte cum *Arcadiana,* quam in II. regione statuit vetus urbis descriptio, ubi etiam extitit Aedes Apostolorum. p. 185.

Cisterna Mahumeti] Quis iste Mahumetes fuerit, haud facile est divinare, ut et qua in urbis regione Cisterna ista extiterit, etsi probabile est alia fortasse appellatione donatam. Nam, quam plurimas in urbe Cisternas recensent Scriptores Byzantini, Arcadianam, Asparis, Basilicam, Boni, Frigidam, Basilicae Illi, Magnaurae, Maximam, Mocesiam, Modestiacam, Philoxenon, Phocae, Pulcheriae seu Aëtii, Theodosiacam, Palatii, et aliquot alias.

Sancta Sophia] Praestat hoc loco perstringere quae Graeci aliquot et Latini Scriptores de Sophianae Aedis elegantia

passim habent. *Procopius* lib. 1. de Aedif. Iustin. cap. 1: Θέαμα τοίνυν Ἐκκλησία κεκαλλιστευμένον γεγένηται, τοῖς μὲν ὁρῶσιν ὑπερφυές, τοῖς δὲ ἀκούουσι παντελῶς ἄπιστον. ἐπῆρται μὲν γὰρ εἰς ὕψος οὐράνιον ὅσον, καὶ ὥσπερ τῶν ἄλλων οἰκοδομημάτων ἀποσαλεύουσα ἐπινένευκεν, ἐπικειμένη τῇ ἄλλῃ πόλει, κοσμοῦσα μὲν αὐτήν, ὅ, τι αὐτῆς ἐστίν, ὡραϊζομένη δέ, ὅ, τι αὐτῆς οὖσα καὶ ἐπεμβαίνουσα τοσοῦτον ἀνέχει, ὥστε δὴ ἐνθένδε ἡ πόλις ἐκ περιωπῆς ἀποσκοπεῖται. Alibi, ὁπηνίκα δέ τις εὐξόμενος ἐς αὐτὸ ἴοι, ξυνίησι μὲν εὐθύς, ὡς οὐκ ἀνθρωπεία δυνάμει ἢ τέχνῃ, ἀλλὰ Θεοῦ ῥοπῇ τὸ ἔργον τοῦτο ἀποτετόρνευται. ὁ νοῦς δὲ οἱ πρὸς τὸν Θεὸν ἐπαιρόμενος ἀεροβατεῖ, οὐ μακράν που ἡγούμενος αὐτὸν εἶναι, ἀλλ' ἐμφιλοχορεῖν μάλιστα οἷς αὐτὸς εἵλετο. καὶ τοῦτο οὐ τὴν πρώτην μόνον ἰδόντι ξυμβαίνει, ἀλλὰ διηνεκὲς ἑκάστῳ ταὐτὸ τοῦτο δοκεῖ, ὥσπερ ἐνταῦθα τῆς ὄψεως ἀεὶ ἀρχομένης. τούτου κόρον οὐδεὶς τοῦ θεάματος ἔλαβε πώποτε, ἀλλὰ παρόντες, μὲν τῷ ἱερῷ ἄνθρωποι τοῖς ὁρωμένοις γεγήθασιν, ἀπιόντες δὲ, τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ διαλόγοις ἀποσεμνύονται. Michaël *Psellus* in monodia: Τὸν περικαλλῆ ναόν, τὸν ἀσύγκριτον οἶκον, ὃν ᾠκοδόμησεν ἡ Σοφία ἐπὶ τῷ ἑαυτῆς ὀνόματι, καὶ οὗ ὑπήρεισε τοὺς ἑπτὰ στύλους ἐκείνους. *Nicephorus Call.* in Prooemio, Τὸ ἀπερινόητον καὶ ἀμήχανον ἔργον, τὸ ἄῤῥητον κάλλος, τὴν εἰκόνα τῆς ἀΰλου αὐλῆς, τὸ κοινὸν ἀνθρώπων, εἴπω δ' ὅτι καὶ ἀγγέλων, ἐντρύφημα καὶ ὡράϊσμα, τὸ τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου Σοφίας θεῖον ὄντως λέγω ἀνάκτορον. *Cantacuzenus* l. 4. c. 4. Ὁ γάρ τοι τῆς Σοφίας, κάλλει τε καὶ μεγέθει τοὺς ἁπανταχοῦ νικῶν, καὶ ὥσπερ τι κοινὸν ἄγαλμα τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας ὤν, καὶ δεῖγμα τῆς μεγαλουργίας, καὶ τῆς περὶ τὰ καλὰ φιλοτιμίας, etc. *Ducas* cap. 20. Ὁ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου Σοφίας ἀνοικοδομηθεὶς ναός, καὶ τέμενος τῆς ἁγίας Τριάδος ὀνομαζόμενος, καὶ μεγάλη Ἐκκλησία, καὶ νέα Σιών, σήμερον βωμὸς βαρβάρων, καὶ οἶκος τοῦ Μωαμὲθ ἐπεκλήθη καὶ γέγονεν. *Manuel Chrysoloras* p. 122. ἀλλὰ Ναὸς ἐκεῖνος, ᾧ καλῶς ποιῶν ἐκεῖνος τοὔνομα τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας ἐπεφήμησε, (ἔστι γὰρ ὄντως οὐκ ἀνθρωπίνης σοφίας ἔργον) τίνα ἰδόντα ἐάσει ἕτερα τοῦ λοιποῦ λέγειν, ἢ θαυμάζειν, ἢ ἑτέρων τοῦ λοιποῦ μεμνῆσθαι, etc. Historia Politica p. 12. Πῶς κατεδέξατο ἡ ἐπ' ὀνόματι τοῦ Θεοῦ Λόγου κτισθεῖσα Ἁγία Σοφία, ὁ ἐπίγειος οὐρανός, ἡ νέα Σιών, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος καὶ οὐκ ἄνθρωπος, τὸ καύχημα πάσης τῆς οἰκουμένης, τὸ ἄγαλμα τῶν ἐκκλησιῶν, ἡ ὑπερέχουσα πάντων τῶν τῆς γῆς κτισμάτων. Haec Graeci Scriptores: at ex Latinis, *Corippus*, l. 2, de Laudibus Iustini;

Ilicet Angelici pergens in limina Templi
Imposuit pia thura focis.

Idem l. 4. de templo Sophiano a Sophia, Iustini coniuge instaurato:

Iam Salomoniaci sileat descriptio Templi,
Cedant cunctorum miracula nota locorum,
Inclyta praeclarum duo sunt imitantia coelum
Consilio fundata Dei, venerabile Templum,
Et Sophianarum splendentia tecta novarum.
Principis est haec aula Dei, etc.

Regino A. 459. de Iustiniano. *Extruxit quoque C P. templum, quod Graeco vocabulo Ἁγίαν Σοφίαν nominavit, cuius opus adeo cuncta aedificia excellit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri.* Similia habet *Uspergensis.* Gulielmus *de Baldenzeel*, in Hodoepor. *Credo, quod sub coelo, postquam mundus creatus est, non fuit tale aedificium completum, quod huic poterit in nobilitate et magnitudine caeteris paribus comparari.* [Hammer T. 1. p. 335—375. *S.*]

In XV. Annis] In eodem errore versantur *Codinus* in Orig. C. P. et *Michael Glycas* et ex iis D. *de Breves* in Itin. Orient. qui scribunt, templum Sophianum annis 17. confectum fuisse. Sed haec mera sunt figmenta Graeculorum sequioris aevi; quippe intra annos 5. et menses 11. absolutum a Iustiniano constat. Cum enim conflagrasset magna Ecclesia, seu Aedes S. Sophiae a Constantino Magno, seu, ut aliis placet, Constantio filio aedificata, et a Theodosio iuniore instaurata, in seditione Victoriatorum, quae accidit anno Iustiniani 5. Chr. 532. Ind. 10. post Cons. Lampadii et Orestis, 15. mensis Ianuarii, hanc idem Imperator composita civitate, et punitis seditionis autoribus coepit eodem anno de novo instaurare. Ita *Chronicon Alexandr.* pag. 726. et *Marcellinus comes.* *Cedrenus* pag. 371. diem coepti operis 23. Februarii annotat. Sed error est in anno mundi quem 6008 fuisse ait, seu potius Librarii, qui ἐν τῇ ϛή pro ϛμ' facili lapsu scripsit. Proinde Annus mundi iuxta Graecos fuit 6040. ut recte *Zonaras* tradit. Sed in Indictione, quam 15. cucurrisse hoc anno uterque volunt, perinde mendum est manifestum, cum certum sit decimam reponi debuisse. Id evidenter patet ex verbis eius-

dem *Cedreni*, tradentis a die quo conflagraverat M. Ecclesia, ad Encaeniorum diem Ecclesiae Iustinianaeae, elapsos annos 5. menses 11. dies 10. Atqui conflagravit M. Ecclesia 15. Ianuarii A. Chr. 532. hoc est, primo seditionis die, quae in quintum usque protracta est, a quo ad Dedicationem, quae facta est 26. Decembris, A. Christi 537. post Consulatum Belissarii secundum, Indict. 15. A. Iustiniani 11. intersunt tot anni et menses, quot a Cedreno computantur. Encaenia enim S. Sophiae hoc die celebrata fuisse tradit *Marcellinus Comes: Ecclesia Maior C. P. ab Imperatore Iustiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die 6. Kal. Ianuarias.* At cum anno Iustiniani 32. trullae, seu hemisphaerii, pars occidentalis terrae motu decidisset, unaque et sacram mensam et Ciborium et Ambonem contrivisset; Iustinianus, iis reaedificatis, Ecclesiam rursum dedicari iussit hoc anno, uti pluribus tradunt *Chronicon Alexandrin. Theophanes, Cedrenus, Hermannus Contractus*, et alii; a quo ad annum coeptae totius Ecclesiae exaedificationis intersunt anni 22. ex quibus colligitur Graecorum, si ad secunda Encaenia respexerint, ne sic quidem constare calculum. [Locus isthic exutatur apud Mart. *Hanckium* de Byzant. rer. Scriptt. P. I. c. VI. 12. *S*]

S. Georgius de Mangana] De hac Aede diximus ad Villhard. N. 178. et in Tract. Hist. de Capite S. Ioann. Bapt. c. 8. N. 11. Adde Alexiadis pag. 80.

Sancta Herini] Tria potissimum C. P. Irenes nomine fuisse templa comperio. Primum, quod Constantinus M. juxta Aedem Sophianam extruxit, de quo *Socrates* l. 1. c. 16. l. 2. c. 6. *Cedrenus* p. 282. *Paul. Diac.* l. 11. *Niceph. Call.* l. 9. c. 4. etc. Hanc Aedem *Codinus Irenem antiquam*, appellatam fuisse ait, ut et vetus urbis descriptio. Nominis rationem tradit autor vitae Pauli Patriarch. C. P. apud Photium: *Χειροτονεῖται ὁ Παῦλος ἐπίσκοπος ἐν τῇ τῆς ἁγίας Εἰρήνης Ἐκκλησίᾳ, ἣν ὁ χρόνος ἀντιδιαςέλλων τῆς Νέας δέδωκε καλεῖσθαι Παλαιάν.* Cum conflagrasset in seditione Victoriatorum, ut est in *Chronic. Alex.* et apud *Zonaram*, *Cedrenum*, etc. multo ampliorem extruxit Iustinianus, ita ut secundum a Sophiana aede locum tenuerit. Meminit istius Aedis ipse Iustinianus. Nov. 3. c. 3. Hodie intra

septum regium includi, et parvam Sophiam appellari, autor est *Gyllius* in C. P. l. 3. c. 2. Altera Aedes D. Irenae in 7. Regione extitit, ut est in veteri urbis descriptione. Hanc p. 186.
Marcianus Imp. condiderat, uti discere est ex *Niceta* in Manuele l. 3. n. 7. seu, ut volunt Synaxaria ad 8. Ianuarii, S. Xenophon, qui eodem Marciano imperante vixit. Tertia denique Aedes D. Irenae sacra ea est, quam Iust. ad ostium sinus Cerativi aedificasse autor est *Procop.* l. 1. de Aedif. Iust. quam *Theophanes* dedicatam fuisse ait A. 25. Iustiniani. Extitit praeterea in Sycis Aedes D. Irenae, de qua *Niceph. Call.* l. 8. c. 6. Porro priorem aedem hic innui existimo.

S. Lazarus] Monasterium S. Lazari condidit Leo Philosophus, Monachis Eunuchis in eo institutis, ubi corpora etiam S. Lazari et S. Mariae Magdalenae ex Cypro et Bithynia allata deposuit, ut autor est *Leo Grammaticus* p. 480, 481. et ex eo *Codinus* in Origin. p. 63. Haud procul a Palatio Constantinianaeo illud statuit idem *Codinus* p. 40 et 41. *Pachymeres* vero MS. l. 9. c. 16. iuxta urbis muros: *μιᾶς δὲ τῆς κατὰ τὴν μονὴν τῦ ἁγίυ Λαζάρυ πυλίδος ἀνοιχθείσης.*

Chiramas] Nihil succurrit de hacce Aede. [fe *Κύρα μας*, pro *τῆς Κυρίας, κυρᾶς μας*, dominae nostrae, quod esset Cyriotissae monasterium, in C. P. chr. l. 4. c. 8. n. 31. *S.*]

Enea] De qua diximus supra.

Petrus et Paulus] Vide Notata ad pag. 482. Alexiadis.

XL. Martyrum] De hac Aede fuse egimus ad pag. 52. Alexiad.

Anastasis] Habuere Novatiani haeretici 7. ecclesias C. P. quarum praecipua fuit in ea urbis parte, quae *Pelargi* dicebatur, quam Episcopi Constantinopolitani iussu Arriani funditus diruerunt. Novatiani vero eius rudera Sycas transferentes, aliam ibi extruxerunt, et mortuo postmodum Constantio, a Iuliano facultatem impetrarunt reaedificandi Ecclesiam in eodem loco, ubi steterat, eique Anastasiae nomen imposuerunt. Ita *Socrates* l. 2. c. 30. *Sozomenus* l. 4. c. 19. et *Nicephorus* l. 9. c. 42. l. 10. c. 5. Unde idem *Socrates* l. 7. c. 39. et *Paulus Diac.* l. 14. Hist. Misc. Ecclesiam istam ad Pelargum, „*Novatianorum*“ vocant. Alia vero hic innuitur Anastasis, seu Anastasiae nomine dona-

ta Aedes, illa nempe, quae ex parvulo oratorio in magnum postea templum ab Imperatoribus Byzantinis erecta est. Eius condendae occasionem narrant *Socrates* l. 5. c. 7. *Sozomenus* l. 7. c. 5. et *Nicephorus* l. 12. c. 7. Quippe aiunt occupatis C. P. Ecclesiis ab Arrianis, quibus tunc praeerat Demophilus Patriarcha, Arrianae itidem factionis, Gregorium Nazianzenum C. P. Catholicorum conventum in domo quadam privata egisse, quam ea tempestate Catholici in oratorium mutarunt, cui Anastasiae, seu Sanctae Anastasiae nomen inditum. *Marcellinus comes: Gregorius Nazianzenus facundissimus Christi Sacerdotos et Hieronymi nostri Praeceptor, Ecclesia nostra apud Byzantium capta ab Arrianis, plebem Catholicam in Beatae Anastasiae Oratorio Catholica allocutione quotidie continuit.* Eadem habent *Theophanes* pag. 56. et *Cedrenus* pag. 315. ipseque Gregorius Orat. de Somnio Anastasiae, et alia habita in concilio C. P. sub finem. Nominis rationem varie ab Autoribus tradi comperio, *Sozomenus* et *Nicephorus* locis citatis Anastasiam dictam scribunt, quod in ea quodammodo Gregorii concionibus Catholica fides, Arrianorum perfidia intermortua et collapsa, revixerit, *ἐνθάδε ἀνέςη καὶ ἀνεβίω διὰ Γρηγορίου λόγων.* Aliam praeterea attexunt appellationis istius causam iidem Scriptores, congregata nimirum ad concionem plebe, gravidam mulierem e sublimi porticu delapsam eo in loco expirasse, moxque fusis ab astantibus ad Deum precibus revixisse: *ὡς ἐπὶ παραδόξῳ τε θεόθεν συμβάντι, ταύτην ἔλαχε τὴν προσηγορίαν ἐξ ἐκείνȣ ὁ τόπος. καὶ περὶ μὲν τȣ́τȣ τοιȣ̃τος εἰσέτι νῦν φέρεται λόγος;* verba sunt *Sozomeni.* Utramque nominis rationem attigit etiam *Cedrenus: διssῶς λέγεται ἡ ἐπονυμία τȣ̃ τῆς Ἁγίας Ἀναςασίας ναȣ̃, Ἀνάςασις μὲν διὰ τὸ τῆς ὀρθοδοξίας λόγον ἐν ταύτῃ ἀναςῆναι, Ἀναςασίαν δὲ, διὰ τὸ συμβὰν εἰς αὐτὴν θαυματȣ́ργημα,* etc. Ex quibus patet non Anastasiam duntaxat dictam hanc Aedem, sed et *Anastasim*, ut appellatur a Bondelmontio. Permansit eo statu Oratorium Anastasiae, Aedes nempe parvula, ad tempora Leonis magni, quo imperante S. Marcianus Presbyter et Oeconomus eam in augustiorem formam propriis sumptibus extruxit. Cedrenus, *Μικρȣ̃ δὲ ὄντως τȣ̃ εὐκτηρίȣ, ὕςερον ἐπὶ τȣ̃ ὁσίȣ Μαρκιανȣ̃ ἀνοικοδομηθῆναι καθὼς ὁρȣ̃ται.* *Synaxaria* ad 8. Ianuarii, de S. Marciano; *ἐδείματο δὲ καὶ*

τὸν τῆς ἁγίας Ἀναςασίας τὸν ἐν τοῖς Δομνίνε Ἐμβόλοις, ὃν καὶ ἀπὸ τοῦ μεγάλου διέσωσεν ἐμπρησμοῦ, etc. Iis consentit *Codinus* in Orig. p. 45. Edit. Reg. Ut vero Aedem Anastasiae ab incendio servaverit S. Marcianus, narrant *Theodorus Lector* Ecl. 1. p. 182. et *Theophanes* p. 97. At *Socrates* l. 5. c. 7. non a Marciano, sed ab Imperatoribus ipsis extructam refert: ᾧ τινι ὕςερον οἱ Βασιλεῖς μέγιςον οἶκον εὐκτήριον προσανάψαντες Ἀναςασίαν ὠνόμασαν. Sed et *Sozomenus* l. 7. c. 5. amplitudine et elegantia, nec non et crebris miraculis perinsignem fuisse testatur. Μετὰ δὲ ταῦτα περιφανὴς τῶν ἐν τῇ πόλει νεὼς γέγονεν, καὶ ἐςιν οὐ μόνον οἰκοδομημάτων κάλλει τε καὶ μεγέθει, ἀλλὰ καὶ ἐνεργῶν θεοφανειῶν ὀφελείαις. Quin etiam tradit *Photius* codice 59. in Pseudo-synodo in suburbio Chalcedonis contra S. Ioannem Chrysost. coacta, obiectum fuisse eidem Ioanni, ὅτι τὰ μάρμαρα τῆς ἁγίας Ἀναςασίας, ἃ ὁ Νεκτάριος εἰς μαρμάρωσιν τῆς Ἐκκλησίας ἐναπέθετο, οὗτος διέπρασε. Ex quibus colligitur iam ante Leonis tempora structurae elegantia conspicuam extitisse. Utcunque sit tum demum eo imperante Sirmio Cpolim translatas divae Anastasiae reliquias, et in Aedem eidem sacram quae extabat in Domnini porticibus illatas tradunt *Theodorus Lector* Ecl. 2. p. 191. *Theophanes* p. 95. Cedrenus pag. 347. et *Nicephor.* l. 14. c. 10. Ἐπὶ Γενναδίου Πατριάρχου, ἠνέχθη ἀπὸ τοῦ Σιρμίου τὸ λείψανον τῆς Ἁγίας Ἀναςασίας, καὶ κατετέθη ἐν τῷ Μαρτυρίῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι ἐν τοῖς Δομνίνου Ἐμβόλοις. Verum an divae Anastasiae Martyri primum sacra fuerit, antequam illius eo inferrentur reliquiae, addubitari potest, etsi S. Anastasiae aedem ante ea tempora appellent *Marcellinus comes*, *Theophanes* et *Cedrenus* in Valentiniano: nam *Sanctae* appellatio indita videtur, quod in sacrum templum immutata fuerit, aut quod ὀρθοδοξίαν a S. Gregorio inductam et resuscitatam ita indigitare voluerint Byzantini. Cum igitur primum Ἀνάςασις, Ἀναςασία simpliciter diceretur, addito etiam interdum ἁγίας epitheto, factum postea, ut in Resurrectionis Christi honorem dicatam primitus crederent, qua appellatione indigitatur Hierosolymitanum templum. Id colligo ex Constantino Porphyrogenneta in Basilio cap. 54. scribente Imperatorum hunc, ἐν τοῖς Δομνίνου λεγομένοις Ἐμβόλοις τὸν εἰς ὄνομα τῆς θείας Χριςοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἀναςάσεως, καὶ Ἀναςασίας τῆς Μάρτυρος περι-

καλλῆ ναὸν exornasse, illiusque testudinem ex lignea lapideam fecisse. Eadem verba habet *Scylitzes*, neque aliud, opinor, fuit templum illud Resurrectioni Christi dicatum, quod a Georgio Logotheta aedificatum, seu forte de novo instauratum, prodit illius Historiae ineditae titulus, quem laudat *Allatius* in diatriba de Symeonibus: *ἡ παρȣ̃σα Χρονικὴ συγγραφὴ τȣ̃ Μεγάλȣ Λογοθέτȣ τȣ̃ Ἀκροπολίτȣ ἐςὶν, ὅς ἔκτισε τὸ Μοναςήριον τῆς ἁγίας τȣ̃ Χριςȣ̃ Ἀναςάσεως* (Ex Add. p. 599.). Ex praedictis conficitur, Anastasianam Aedem in ea urbis regione extitisse, ubi erant porticus Domnini e regione publici balnei, Dagistaei nuncupati, ut ait *Cedrenus* p. 392. in regione septima, ut est in veteri Urbis descriptione. Porro Aedes illa Divae Anastasiae Martyri quam *Φαρμακολυτρίαν* vocant, quaeque Martyrium passa est Valeriano imperante, sacra fuit. Illius corpus etiamnum Constantinopoli asservari in Ecclesia Patriarchali Graecorum, autor est R. P. *Pacificus* in Itinerario C. P. p. 38. Huius
p. 187. festum agunt Graeci 29. Latini 28. Octob.: Vide Menolog. *Sirleti* 12. Octob. et *Baron.* ad 25. Decemb.

Periuleptos] Vide Notas ad Alex. p. 70. [C. P. chr. l. 1. c. 2. n. 36. *S.*]

S. Ioannes de Studio] Vide Tractat. de Capite S. Ioannis Bapt. cap. 7. N. 9. et Gill. l. 4. c. 9.

S. Andreas] Hanc aedem extruxit Arcadia Theodosii iunioris soror, a qua Arcadiae dicta, ut est in *Chronico Alexandr.* p. 711. Extitit illa iuxta Templum Sancti Mocii, cumque fere collapsa esset, hanc refecit Basilius Macedo, uti tradunt *Constantinus* in Basilio c. 54. et *Scylitzes* p. 587. Renovavit iterum Theodora, Michaelis Palaeologi Imp. e sorore Eulogia neptis, ut est apud *Gregoram* l. 5. et 6. p. 119. et 128. qui Monasterium foeminarum fuisse ait.

Propter copiam piscium] *Busbequius: E media C. P. iucundissimus est in mare, albentemque perpetuis nivibus Olympum Asiae prospectus. Mare piscibus omni ex parte refertissimum, modo demittentibus se ex Maeotide Pontoque per Bosphorum et Propontidem in mare Aegeum Mediterraneumque, modo ex illo subeuntibus in ipsum Pontum, sicuti natura fert piscium, tantis agminibus, tamque densis, ut interdum etiam manibus capiantur. Itaque frequentissima est Scombrorum, Pelamydum, Capitonum, Synodontum,*

Xi-

Xiphiorum iis locis piscatio, in qua se praecipue exercent Graeci, magis quam Turcae: tametsi nec isti positos in mensa pisces aspernantur, etc. [Hammer T. 1. p. 46. 47. *S.*]

Pera] De Pera copiose egimus in Historia Gallo-Byzantina l. 5. N. 32. et in Not. ad Villhard. N. 83. [Hammer T. 2. p. 111—175. *S.*]

Finis Notarum Cangii.

Adi si potes Meletii accuratam descriptionem p. 422—438. ubi p. 423. noster laudatur.

Sequuntur nunc VARIAE LECTIONES in idem Caput 65, e Codd. diligenter enotatae. v. quae dixi p. 224. Cangius quidem exscripsit Cod. apud me A. nominatum, tum temporis numero 1214, nunc 4825 insignitum, in paucissimis minus accurate. Ergo ubi a vera Codicis lectione aberraret Cangius, discrepantias eius a textu quem nunc exhibemus siglo *D* notavimus.

XVIII. in circuitu mi.] Cangius *milliarium.* A. *milliarum.* — B. *miliariorum.* C. *milliaribus.*

Dimetrii] Sic Codd. ex Iotacismo. D. *Demetrii.*

sex mi. spatium] Deest *spatium* in A.

usque Criseam] D. *usque ad Cr.*

et turribus] A. *et turres.*

Lm. — Francorum] i. e. quinquaginta millia.

pane calcinae fermentato] D. *p. calcine frumentato.* — *Calcinae* gen. est vocis italae, pro *calce.*

vel timore] C. *vel dolore.*

propinqua huic Condoscali] A. *propinquo Condoscali.* — C. *propinquo huic Conescali.*

Arsena] C. *Arsana.*

mosaicorumque aedificiorum] C. *cum mosaicis aedificiis.* — D. τὸ *que* servat.

atque cum — miri ingenii] C. *atque pav. miro ingenio.*

in alto] C. *in altum.*

prosternata] C. et D. *prostrata.*

Portulum Imp. dicti] Sic Codd. f^e^ *dictum.* D. *Portulam.*

usque ad S. Sophiam] Deest *ad* in C.

Pag. 122. *fructu ad vescendum capiebant*] A. tantum: *fructum capiebant.*

diruta sunt] A. *dirupta.* — D. *disrupta.*

usque ad pavimentum 144. brachia] Deest *ad* in A., qui dat *brachiorum.* C. *133. brachia.*

tota una] D. *toto una.*

brachia 22.] Sic C. — A. *brachiorum 22.* D. vero *17*, sine distinctione post *ampliatur.*

quae desuper] A. *quia d.*

resedit] D. *recedit.*

Quis autem] A. *Quisne.*

liniamentis] Sic Codd. pro *lineamentis.*

a quo latere] Deest *a* in C. et D.

septuaginta cubitorum] A. *septingentorum c.*

aeneus] D. *aereus.*

ad orientem] D. *ad occiduum.*

Hippodromus distenditur] D. *Hip. escenditur.*

torniamenta] C. *tormenta.* Confusio qua adiati supra lectionem sanavimus.

690. etiam in longitudine brachiorum et 124. in latitudine ampliabatur] A *690. etiam magnitudine br. et 124. ampliatur.* C. pro *690.* dat *680.* D. pro *124.* dat *134.*

Hippodromi] A. *Hypodromi.* D. pro *24.* dat *28.*

altissimae columnae] C. *amplissimae col.*

Ab una autem parteque] C. pro *autem* dat *vero.* D. *parte et.*

erant ipsius] D. *ipsius erant.*

Pag. 123. *versus Sanctam Sophiam*] Deest *Sanctam* in A.

innumerabilium fenestrarum adornato] A. *et innumerabilium f. ornatu.*

dominaeque] D. *dominae et.*

summus balneus] C. *summus balneum.*

Agulia ex uno latere] A. *Agulia ex uno la-*

pide. — C. *Aquila ex uno latere.* — E duabus lectionibus meam feci.

in altum recta] D. *in a. erecta.*

cubitorum 44.] A. *cub. 24.*

sonant] A. *sonat.*

ab eis exibat] D. *exibant.*

diebus iustrantium] C. *tempore i.*

Ultra etiam in altera] Deest *etiam* in A. — C. *Ulta.*

Agulia connexa 58. cub.] A. *connecta.* D. *confecta.* C. *connexa 60. cub.*

Fecit ergo Theod.] Deest *ergo* in A.

maiores marmoreae] In A. deest *maiores*, et in C. *marmoreae.*

porphyreae videntur] D. *porphyriae.*

equi — aureati] D. *e.* — *aurati.*

Pag. 124. *in medio Polis*] *Polis,* Genitivus latinus.

ecclesia iam dirutaque] A. *ecclesia iam diruptaque.* D. *e. i. derupta et.*

Pandocratora] D. *Pandocratoris.*

spongiaque]. D. *spongia et.*

conservata] A. *servata.*

sunt ordinatae] Deest *sunt* in A.

incredibile] C. *mirabile.*

Iustinianus] Ita C. A. *Iustinus.*

Chiramas] C. *Chirame.*

Petrusque] D. *Petrus et.*

Scti 40. Martyrum] C. *Scti 40. millia Mar.*

in qua — invenire finem] Supple: *licet.* C. *cuius finem invenire nequaquam posse dicitur.* I. *inveniri* et *finis.* Barbare.

Periulestos] A. *Peroilestos.* C. *Periulestos.* D. bene: *Periuleptos.*

Vlacherna] C. *Vlacerna.*

Sunt etiam] A. *enim.*
habitatores] C. *imperatores.*
secretam] i. e. *firmam, certo pacto constitutam.*
si promittent] D. *si promittant.* Sed *si* cum futuro bene se habet. Adi Boissonade ad Diogen. p. 219. 1. (Notices et Extr. T. 10. P. 2.)
Pag. 125. *Fuit etiam haec*] A. *F. enim h.* In C. deest *haec.*
sapientiaeque] D. *sapientiae et.*
ignorantiamque] D. *ignorantiam et.* Male vir summus hic τὸ *que* istum barbarismum non agnovit, non ubique sibi constans. Nam supra duobus in locis, in *Mosaicorumque aedificiorum* (v. not. p. 242.) et modo in *Tertiaque quarta columnarum* (p. 123. text.) et mox infra eum servavit.
in tantum delati]. Sic bene Codd. D. infeliciter coniicit *delicati.*
pisciumque carnium] D. *piscium et carnium.* — In C. deest *carnium.*
ad morbum inciderunt] Desunt verba *ad morbum* in A.
Ad. trionem etc.] Desunt reliqua de hac Poli, cum effigie eius in C. Et cum Codex ille, ut ex Catalogo MSS. Par. s. n° 4824. codd. latt. patet, eiusdem fuerit Domini Du Fresne Du Cange, fortasse ipse Cangius effigiem illam avulsit et eam chalcographo excudendam tradit, quam nunc vides, quoad sciam, ter excusam tum in Notis ad Cinnamum p. 178, tum in tabulis aeneis praefixis Constantinopoli christianae, in libro Stirpes Byzantinae, tum denique apud *Bandurum* Imperium orientale F. 2. p. 448. Sed textum e nostro Cod. A. dedit, ut supra vidimus.
Ad trionem] D. male *Septentrionem.*

quae per sinum] D. *et per sinum.* Codd. nemp inter ē et ae nullam sistunt differentiam.

Sunt enim] D. *Sunt etenim.*

ore stenuissimo] D. male: *ore tenuissimus* *Stenuus*, a *stenuare* per Italismum, ut supra dixi

intrantium] D. typothetae errore: *intrantium.*

66.

Stalimini] Bosch. p. 84. et Porcacchus p. 139 Stalimine, Stalimene.

Limni] C. et Porcac. *Limini*, male. *Λίμνη*, lacus. Sed Lemnos *Λῆμνος* effertur per η. Saepius tamen apud Meletium, ex. gr. p. 440. b. per ι *Λίμνος* scribitur.

porti sint] C. *portus s.*

Legitur etiam] A. *L. enim.*

Mulieres autem] C. *M. vero.*

praetermittendam dixerunt] Deest *dixerunt* in A.

Venus indignata] Desunt in A.

Sola vero Hisiphyle, Thoantis f.] C. *Sola autem H. T. f.* Scribendum erat *Hypsipyle.* Rem narrat Melet. l. l.

Pag. 126. *clam ceteris*] A. *clam ceterasque.*

Cholchos] Sic Codd. pro *Colchos*, quod efferendum erat *Colchin.*

invaserunt insulam] Deest *insulam* in A.

Oeneumque Thoantem] Scribendum erat *Euneum.* Eadem Scholiastes Pindari Argum. in Nem. v. Apollod. Bibl. 1, 9. §. 17. p. 84, 86. et Claverii notas T. 2. p. 170 et 71. not. 80, 81.

mulieres — comperiere] Deest *mulieres* in C., qui *comperierunt.* Sic!

et Lycurgo — vendita est] A. *et Ligirigo, regi Argolici in nutricem vendiderunt.* Et C. *Ligurgo* ex Italismo scriptionis. Ad rem v. Apollod. l. 3, c. 6, §. 4. p. 296. Clavier.

Ex hac etiam i. Mimii] A. *E. h. enim i. Mimii.* Sed scribendum erat *Minyae.* Rem habet Strabo l. 8, p. 347. Casaub. T. 2. p. 87. §. 19. Coray. Sed in iis quae proxime sequuntur videtur noster Minyas cum Helotis confundere.

tentarent] C. *tentarentur.*

damnati sunt] Deest *sunt* in A.

Viri ergo] C. *V. vero.*

e carceribus evaserunt] Deest *e carceribus* in C.

De Lemno adi: Archipel. p. 154 — 68. *Hunt* in Walpole. Travels. p. 54 — 63. Geogr. hod. p. 312 — 14.

67.

Embarus] Olim Imbros, nunc Imbro; Italis el Nibro, apud Melet. p. 441. Porcac. p. 80.

ambra] ἀμπάρι, vox hodierna ex itala ambra oriunda.

in puncta Hellesponti] A. *ponto.* B. *ponta.* *Puncta*, Italis *punta*, extremitas. v. Cang. s. v. N° 1.

etiam civitas — ab Agortanis] C. *iam* pro *etiam.* Quinam sint isti *Agortani*, non liquet. Leg. fortasse *Spartanis.* — Fortasse *Agoranis;* i. a. *Venetiani*, ab Agoro, Agorum, Venetorum urbe, prope flumen Cordevol, in finibus Bellunae. v. Iselin. in Lex. s. v. Agoro.

incepta] Deest in A.

---

ebdomada] C. *ebdomoda.* scr. *hebdomade.*
Pag 129. *usque ad 30.*] Deest *ad* in C.

71.

Sanstrati] Bosch. p. 84. Santo-strati. Graecis Ἀϊςράτη. Meletius p. 402. et Geogr. nov. p. 314. olim eam *Νέα* et *Νέαι* dictam asseverant. Sed f[e] quae olim *Hiera.* — A. *Sonstrata.*
insula et montuosa — sita est] A. *parva videtur montuosa;* et desunt voces *sita est.*
animalia — ambulantes] Sic Codd.

72.

In hoc ergo] C. *In h. igitur.*
Limen] Quae olim *Halonesus*, nunc, ut videtur *Pelagnisi.*
limen — a limite] λιμήν, i. e. *limes.* Sed proprie *portus.* Et hic „*aliqualis* graiarum Literarum notitia." Porcac. p. 81. *Lime.*
venientes] C. redeuntes.

73.

Dromos] Hodie *Dromi* et *Chilidromi;* olim *Icos;* v. Holland p. 268. Melet. p. 401.
de oriente] A. *ex or.* Porc. p. l.
Pag. 130. *Fertilis*] Deest in C.

70.

montem Athos] C. *montes A.*
Xerxis] Deest in C.
erat divisus] A. *est divisus.*
Salonicensem] A. *Thessalonicensem.*
Thraciae] C. *Achaiae.*
Achroano oppidum] C. *Acroan*, et deest *oppidum*. Leg. *Acro-Atho.*
ad plus 124. mi] C. *123. mi.*
Chrysostomi] C. *Christomi.*
Nazanzeni] Sic Codd. Scr. *Nazianzeni* et adde *Gregorii.*
ad narrandum] Cfr. descriptionem Montis Atho in Mentelle verg. Erdbeschreib. T. 3. Appendix; p. 185—206. vers. germ. Mülleri. Winterth. 1786.
Surgunt igitur] Deest *igitur* in A.
ligneae campanae — dederat] Sic Codd. L. *dederant.* Effigiem campanae v. apud Tournef. T. 1. Lettre 3, p. 49.
casas] i. a. *cellulas.*
Pag. 128. *ad alium asperiorem modum*] A. *ad aliud a superiore modum.*
in sabbato] *Die Saturni*, credo.
die Dominico] C. *de Dominico.*
leguminibus in heremo paratur] Codd. *liguminibus.* C. *praeparantur. heremo*, i. e. ἥρεμο i. a. *cellula.*
in diurnas] C. *ad diurnas.* Haec suavissima.
modestiae; mensaque] A. *modestia.* C. *mensisque.*
eligere vitam] A. *degere vitam.*
trahit eos] Deest *trahit* in C.
maceries] Pro *maceria*, murus. A. *materies.*

76.

Sanctus Helias] Sic quoque Porc. et Bosch. p. 92. per H. Situs est inter Scopelum et Sciathum. Adi Holland p. 270.

ecclesia parva] A. *ec. magna.* Rem habet Porc. Pag. 131. *et cum rapacibus*] A. *descenditque.*

oculos r. suos] C. *o. r. sibi.* Pro *eius.*

77.

Schyros.] Sic Codd. pro *Scyros;* hodie Schiro, Bosch. p. 90, Sciro, Porc. l. l.

Pegasseum] Sic Codd. Scr. *Pagasaeum.* Sinus Thessaliae. v. Cellar. T. 1. p. 868. l. 2. c. 13. s. 14. §. 140. Eandem vitiosam scriptionem exhibet Porc.

et in montibus] deest *et* in A.

Tetis] Sic Codd. pro *Thetis.*

Carpathii vatis] A. *Capacii vatis.* Cl. Beraldus ad Statii Achill. 1, 136. „Carpathius vates, Proteus sic dictus a Carpatho, — in qua regnavit relicta Pallene, patria, urbe Thessaliae, in quam postea reversus est.“ Adi quae diximus ad C. 12. initio.

Licomedem] C. *Nicomedem.* Scr. *Lycomedem.*

cognitus est] Deest *est* in C.

Statius] Deest in Codd. v. Achill. 1, 349. Pro *ominosa* C. *animosa.*

saepe visitant] Deest *saepe* in C.

restant] C. *extant.* Adde Tournef. p. 171—74. Melet. p. 401, 2. Geogr. hod. p. 306.

78.

Pag. 132. *Egrippos*] Scribendum erat *Egripos* pro *Εὔριπος*. Hodie *Negroponte*. Dodwell T. 2. P. 1. p. 248.

pons] Bosch. p. 97. Dodw. p. 247.

sub qua tam impetus aquarum] C. *sub quo*. Deest *aquarum* in A.

In capite pontis] C. *In capontis*.

reputatur in partibus] C. *reputatur et i. p.*

Nauplus] Sic Codd. pro *Nauplius*, ut bene Porcacchus p. 143. Bosch. *Napulio*. Cfr. Apollod. Bibl. l. 2. c. 1. 5. p. 130. et T. 2. p. 216, n. 49. 50. Claverii Notas.

principum] Deest in C.

proditorie — circuire] Desunt in A.

exhortabatur] A. *exhortabantur*.

arbitratus est] Supple *facere*.

quia multi] A. *qui multi*.

suarum] A. *illorum*.

Ultra hoc] C. *U. haec*.

Orpheus] Sed erat Lebethra Thraciae oriundus.

esse unum] Deest *esse* in A.

omnia gubernat] C. *cuncta*.

nil sit] C. *nihil*.

et creata] Desunt in A.

Gorgias] Sed erat Leontinus, Siculus. Eadem Porcac.

et opere] *Et* deest in A.

etiam Neptunus] A. *etenim*.

insulae dominus] Deest *insulae* in A.

Quae longa] A. *longe*.

Pag. 133. *Aulis*] Sed Aulis est e regione Chalcidis.

Efigenia] Sic Codd. pro *Iphigenia*.

sacrificavit] Impersonaliter, pro Passivo accipiendum, sive supple *Agamemnon*.
Haec — importat] Desunt in A.
Adi Geogr. nov. p. 303 — 6. Meletium p. 398 — 401.

79.

quia chrismate] C. *quia a ch.* v. Du Cange s. v. chrisma.
oleum] chrisma est balsamum; oleum simplex ab Episcopo consecratum.
munde eum involvunt] Deest *munde* in A., qui dat *revolvunt*.
frontem perungunt] A. *fontem*. Patrinus, patrino, ital., ἀνάδοχος, sponsor, parrain. Genitivus pro Abl. i. e. *a patrino oleo et sale accepto*.
a modo] Sic Codd. Fortasse *admodum*, ut supra Praef. initio.
4 annis] Quatuor annos iter fecit, et duos insularum descriptioni impendit.
Aeginam] v. Dodwell. T. 2. P. 1. p. 1 — 28. Geogr. hod. p. 302, 3.
urbi Athenis] A. *urbis Athenis*.
cum salute] Desunt in L. apud Bandinium.
Rubea — decem] L. male *rubra*. Finge vocem Christum, qua Caput incipit graece scriptam esse Χριςόν, habebis X quod *decem* valet.

80.

Christoferus] Sic male Codd. pro *Christoforus*.
ensenium] Ista vox originem dedit Pseudonymo illi Ensenio, apud *Bandinium* Catal. Bibl. Laurent.

Codd. lat. Tom. 2. p. 41. Cod. 25. Qua de re ita v. s. Canon. Bencini, Florentinus in epistola ad me data: „La Descrizione dell' Isole Cicladi, ecc. che nel Codice 25. Banco 29. della Laurenziana ha in principio questo titolo: Christophori Ensenii Descriptio Cycladum et aliarum Insularum — è certamente opera di Christoforo Bondelmonti, perchè dove si parla di Creta dicesi subito — omnia quamvis, quae hic narranda erunt, in Libro quem de Creta composui sint prolixiora, hic, etc. etc. (v. Cap. 11, initio) — ora, sapendosi che Christoforo Buondelmonti ha scritto un Libro sopra Creta, ne viene per legittima conseguenza, che se gli possa attribuire questa Descrizione delle Cicladi ec. contenuta nel detto Codice. Pare che a ciò si opponga il nome *Ensenii* aggiunta a Christoforo; ma questo nome lo ha aggiunto ignorantemente il Copista del nostro Codice, per chè dopo la descrizione e la pianta dell' Isola di Egina, avendo egli trovato queste parole — Christophorus ego Ensenium etc. — con altre, che non si possono trascrivere, perchè quasi affatto rase nel detto Codice, prese la parola greca *Ensenium* per aggiunta di Christoforo, quando ella significa *munus* come nella dedica al Cardinale Giordano aveva detto l'Autore latinamente — Ergo cape, precor, *munusculum* a longis itineribus missum. — Forse il Copista lo avrà fatto artificiosamente, per dare cioè a quest' Opera aria di novità, ponendo *Ensenii* in vece del cognome *Buondelmonti*. È dunque veramente immaginario e supposto questo *Christoforo Ensenio.*"
Haec Bencini. Adiungamus verba *Fiacchii* v. cl. „Rilegga la finale ed osservi che dove dice — *secundam* — nel Magliabechiano, il Bandini e il

Codice Laurenz. legge — *secundum* —. Dalla correzione Magliabechiana si vede chiaramente che per — Ensenium — s'intende la *prima descrizione compendiosa* delle Isole mandata come per saggio, in dono, (*munusculum* dice in principio), e *questa* era la seconda più estesa. La voce — *ensenium* — viene forse da — Xenium — regalo." Hactenus Fiacchius. Ensenium, addamus, pro ἐνξένιον; sive, fortasse, sed minus placet, pro *insegna*, enseigne Italorum et Gallorum, a quo *enseniator*, apud Cangium in Lex., i. a. quod nos dicimus *Carte routière*. Sed periit, ut videtur omnino haec prima compendiosa Descriptio, et nunquam edita est, Cardinali tantum directa. Equidem hac de re nihil comperire ex Italia potui.

notitia — indicata] Codd. omnes *notitiam*. Unus C. *indicata*. A. *insulae*. Omittunt *Iordane* A. et C., dat vero L.

Nunc autem, postquam] C. *vero*. A. *quia*.

eum perscrutatus] L. *fui*. A. *sim*. Deest *diu* in A. et L.

Pag. 134. *otiosus exstiteris*] A. B. C. *fessus*. L. otiosus. C. *fueris*. *saepe* deest in L.

Haec litera] Deest *haec* in A. et E.

Finis.

INDEX

INSULARUM CAPITUMQUE DUPLEX

IN

BONDELMONTII

LIBRUM INSULARUM ARCHIPELAGI.

INDEX PRIMUS, SECUNDUM CAPITUM ORDINEM.

CONSPECTUS INSULARUM.

CONSPECTUS INSULARUM.

Capita	Nomen antiquum.	Nomen Bondelmontii.	Nomen hodiernum.	Paginae Textus.	Paginae Comment.
40.	Ios.	*Nio.*	Nio.	99.	197.
41.	Anaphe.	*Anafios.*	Namphio.	99.	198.
42.	Amorgos.	*Buport.*	Amorgos.	100.	198.
43.	Chinera, et Lebinthos.	*Chinera, et Levata.*	Zinera, et Levita.	100.	199.
44.	Anti-Chero.	*Caloierus.*	Caloierus.	100.	200.
45.	Cos.	*Choa.*	Stan-Co.	101.	200.
46.	Calymna.	*Claros.*	Calimene.	104.	204.
47.	Leros.	*Herro.*	Lero.	105.	205.
48.	Patmos.	*Pathmos.*	Patino.	105.	206.
49.	Lepsia.	*Dipsi.*	Lipso.	106.	206.
50.	Corassiae.	*Crusie.*	Crussiae.	106.	207.
51.	Icaria.	*Icarea.*	Nicaria.	106.	207.
52.	Mineia.	*Mandria.*	Nacri, v. Mari.	107.	208.
53.	Agathusa, et Pharmacusa.	*Agatussa, et Pharmacus.*	Agathonisi, e Farmaco.	107.	209.
54.	Samos.	*Samos.*	Samos.	108.	209.
55.	Melanthe.	*Furni.*	Forni.	109.	211.
56.		*Tenosa.*	Stenosa.	110.	212.
57.	Psyra.	*Psara.*	Ipsara.	111.	212.
58.	Chios.	*Chios.*	Scio.	111.	213.
59.	Lesbos.	*Lesbos.*	Metelin.	114.	217.
60.	Tenedos.	*Tenedos.*	Tenedos.	116.	220.
61.		*Gallipoli.*	Gallipoli.	117.	221.
62.	Neuris.	*Marmora.*	Marmara.	119.	222.
63.	Besbicos.	*Calonimos.*	Calolimno.	120.	223.
64.	Daemonnesi.	*Scopuli Caloierorum.*	Principum Inss.	120.	223.
65.	C. Polis.	*C. Polis.*	C. Polis.	121.	224.
66.	Lemnos.	*Lemnos.*	Stalimene.	125.	246.
67.	Imbros.	*Embaros.*	Imbro.	126.	247.
68.	Samothrace.	*Mandrachi.*	Samothraki.	126.	248.
69.	Thasos.	*Taxo.*	Tasso.	127.	248.
70.	Mons Athos.	*Mons Athos.*	Monte Santo.	127.	249.
71.	Nea.	*San-Strati.*	Aïstrati.	129.	250.
72.	Halonesus.	*Limen.*	Pelagnisi.	129.	250.
73.	Icos.	*Dromos.*	Dromi.	129.	250.
74.		*Macri.*	Sarakino. (?)	130.	251.
75.	Sciathos, et Scopelos.	*Schiati, et Scopuli.*	Schiati, e Scopoli.	130.	251.
76.		*Sanctus Elias.*	St. Elias.	130.	252.
77.	Scyros.	*Schyros.*	Schiro.	131.	252.
78.	Euboea.	*Egripos.*	Negroponte.	132.	253.
79.	Aegina.	*Aegina.*	Aegina.	133.	254.
80.		Conclusio.		133.	254.

INDEX SECUNDUS.

CATALOGUS INSULARUM CAPITUMQUE ALPHABETICUS.

CATALOGUS INSULARUM CAPITUMQUE ALPHABETICUS.

Nota. Inter nomina hodierna, italica seu Francorum nomina tum tantum posui, cum nomen graecum hodiernum omnino cum veteri nomine insulae plane consentiret. Et hic quidem errores difficile est evitare; et sicubi certa pro incertis hic dedi et in priore Indice, Notas velim adeas.

HALAE, TYPIS BAENTSCHIANIS.

ERRATA.

In praefatione corrige:

Pag. 8. lin. 12. *Graeciae.*
— 9. — 9. *breviter.*
— 13. et 14. *Porcacchus.*
— 15. — 1. *Arcipelago.*
— 30. — 11. *Banduriumque.*
— 30. — 5. ult. *exeuntis.*
— 47. not. 1. *1722.*

in textu:

— 80. — 8. *eremita.*
— 80. — 8. ult. *manifestantur.*
— 98. — 8. *decrescit.*
— 109. — 12. *Sibylla.*
— 131. — 5. ult. *pauci.*

in commentario:

— 145. — 4. A. *comprehendaris.*
— 158. — 6. ult. *Golium.*
— 160. — 14. ult. *et* pro etc.
— 162. — 1. *Palane.*
— 191. — 9. ult. *caroube* pro *carroube.*
— 208. — 12. *melle accepto.*
— 236. — 17. *Theophanes.*

